GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [1] - -


leibn. marg
1
Hss - Zimmer

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover
Am Archive 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Randnoten von

G. W. Leibniz.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

CHRISTIANI GVEINZI
GYMNASIARCHÆ
HALLENSIS.


ENCYCLO-PÆDIA,

Curâ,

A.F. D. J.C.G.
Conſ.H. & C.M.

RUDOLFOPOLI,
Typis & impenſis JO. RUDOL-
PHI LEONIS.
Anno 1691.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

AUDITORIBUS
&
DISCIPULIS
SUIS
sacrat
ENCYCLOPAEDIAM

Christianus Gueinzius.

qui addit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

PAnſophies avidi cultores, diſcite totam
Encyclopædiam! Panſophus ipſe jubet.
Quam niſi quis teneat perfectè, credite! nullus
Jure Magiſter erit, nemo Magiſter erit.
Noverit aſt hanc ſi totam quis: dicite; certè
Iſte Magiſter habet Panſophus omne ſophos.
Gueinzius hanc offert Vobis. Quin Gueinzius optat:
Sitis ut Euſebies, Panſophiesque Sophi.

In terminalibus anni 1647.
Hallis Saxonum.

CLmi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

CLmi Dn. GUEINZII

Compatris & Collegæ sui pl. bonorandi, Encyclopædiam adfabrè artatam Juventuti Opt. Spei quàm commendatissimam cupit hoc Epigrammate.

MUlta Magisterii Sophici sunt nomina: sed sunt
Vana, quibus vani puncta tulere viri.
Rarus Aristoteles quibus est inspectus, & Orbis
Fixit ubi propriam, diva Sophia domum.
Emendicata hos tantum suffragia, tollunt,
Dum titulo turgent, sint licet arte rudes.
Hinc post suspenso contemnunt dogmata naso.
Quæ vel Stoa docet, vel Schola prisca fovet.

Purpura ſi vendat, ſi bardo cucullus honores,
Jam ſatis eſſe putant, deſpiciunt-que Sophos.
Mens melior doctis, aliud juraſſe, profeſſis,
Qui volvunt, quicquid cyclicus Orbis habet.
Eſto: quod es; quod ſunt vani, Tu ſperne morari,
Ac defende Tui *jura Magiſterii*!
Ejus at, Encyclopædiam verſato, Juventus,
Quam præbet Gueinzi Dædala Muſa Sophi.

L. M. Q.

M. Frideric. Cahlenus,
P. L. C. Gymn. Conrect.

DIS.

DISPOSITIO SPECIALISSIMA ENCYCLOPÆDIÆ.

CAPUT I.

1.

ENCYCLOPÆDIA est habitus Entium cognoscibilium. Dividitur in *DOGMATICAM* & *DIDACTICAM*.

2. *DOGMATICA* habet tùm artes liberales, tùm illiberales: seu est *HEXIOLOGIA* & *TECHNOLOGIA*.

3. Hexiologia vel habet *PRAGMATOLOGIAM* vel *ORGANOLOGIAM*, seu vel tractat Realia vel Instrumentalia.

4. *PRAGMATOLOGIA* est *FACVLTATVM*, quarum alia *SVPERIOR*, alia *INFERIOR*.

5. *INFERIOR* est *PHILOSOPHIA*, quæ est habitus sapientia & prudentia constans; seu est habitus entium realium ad veritatem dirigendorum.

6. Estque vel *THEORETICA*, vel *PRACTICA*.

7. *THEORETICA* est habitus Entium necessariorum; cujus pars alia *GENERALIS*, alia *SPECIALIS*.

8. Generalis est *METAPHYSICA*, quæ est sapientia Entis quatenus Ens. Ejusque pars alia est *COMMVNIS*, alia *PROPRIA*.

9. *Communis* est, quæ de *principiis* & *affectionibus* agit in genere. *Principia* autem *cognoscendi* sunt; (1.) idem simul non potest esse & non esse, (2.) aut, impossibile est, idem simul esse, & non esse.

10. Notandæ etiam ibi sunt sex Sapientiæ notæ: (1.) *Omnia scire* universaliter, (2.) Scire *difficilia*, (3.) *Certissima*, (4.) *Docere posse*, (5) *Sibi sufficere*. (6.) *Dominari* aliis scientiis.

11. Sic ex sententia aliorum, ex *propria quoad modum cognoscendi*: veritatis cognitio est difficilis, non tamen impossibilis: si quidem datur principium aliquod primum.

12. Quo-

12. *Quoad modum tractandi summatim*: (1.) Veritatis Studiosum oportet in utramque partem dubitare; (2.) Interim principia rerum non sunt eadem. (3.) & universalia non sunt à singularibus separata.

Cap. II.
De
Metaphysica.

13. *Sigillatim*, de *Subjecti constitutione*: *Metaphysica* est *Scientia circa Ens quatenus ens*. *Ens* dicitur analogicè, & quidem primariò de substantia, secundariò de accidentibus: Metaphysica etiam agit de uno, quod est *Ens indivisum à se, divisum à quolibet alio*.

14. De *Entis declaratione, quoadnaturam communiter de Synonymis*. *Principium* dicitur aliud Generationis, aliud Affectionis, aliud Cognitionis, *ex quo nimirum aliquid fit, ita ut insit*: vel unde res primum cognoscitur.

15. *Materia* est, *ex qua aliquid fit, cum insit*: Est causa prima, est causa quietis, principium, à quo aliquid fit (3.) *Forma* est *per quam unumquodque*. (4.) *Finis cujus*

causa aliquid fit, (5.) *Elementum, ex quo primum aliquid conficitur.* (6.) *Natura* est quâ sit insitum id, quod nascitur. (7.) *Necessarium*, etsi non sit causa rei, absque eo tamen res esse non potest, seu quod aliter se habere non potest. (8.) *Unum* aliud per se, aliud per accidens. Per se est multitudinis principium. (9.) *Ens aliud per se*, aliud per *accidens*; *per se* vel verum, vel falsum, vel potestate, vel actu. (10.) *Substantia* est essentia rei. (11.) *Idem* dicitur vel per se, vel per accidens; Et per se materia, specie & genere. (12.) *Opposita* dicuntur quatuor modis, contradicentia, contraria, relata & privativa, (13.) *Prius & Posterius* dicitur quinque modis, loco, tempore, motu, potestate & ordine. (14.) *Potentia* alia dicitur *activa*, quæ est principium motus; alia *passiva*, quæ est principium secundum quod pati quid potest. (15.) *Quantum* quod dividi potest in ea, quæ insunt: & est vel *multitudo*, vel *magnitudo*. (16.) *Quale* ob quod res vel bene vel male affecta. (17.) *Ad aliquid* quod habet respectum. (18.) *Perfectum est, cui nihil deest eorum, quæ adesse* debent. (19.) *Terminus* dicitur extremum seu finis alicujus rei, (20.) *Dispositio* est ordo alicujus rei habens partes (21.) *Habitus* est

actus

actus rei habentis. (22.) *Privatio* est absentia rei, (23.) *Totum* dicitur id, ex quo nulla pars abest eorum, à quibus dicitur; Estque *universale*, vel *integrale*, vel *essentiale*. (24.) *Diversum* est, quod non in se invicem resolvitur. (25.) *Falsum* est, quod non convenit cum re.

16. Sic *communiter*, sequitur *respectivè*, quatenus Metaphysicus considerat Ens. *Metaphysica* quærit principia & causas, differtque à reliquis scientiis subjecto & forma. Interim Metaphysica non agit de Ente per *accidens*.

17. Sic fuit pars *Communis*, sequitur pars *Propriè*, & quidem *quod Ens in categorias dividatur*. Ubi de *substantia*, quæ est principium Entis; Et quidem *prius* ratione *cognitionis*, *temporis* & *naturæ*. *Quidditas* (1.) est qua res ita dicitur per se. (2.) omne quod fit, ab aliquo fit, & ex aliquo, estque singulare. (3.) res naturales non possunt definiri, nisi facta mentione materiæ sensibilis.

18. Sic in Genere de substantia, sequitur de *Materiali substantia sensibili* (1.) Omnes sensibiles substantiæ constant materia, (2.) Materia verò non est ut actus, sed ut potentia, (3.) forma verò est actus, (4.) forma prior est composito.

19. Quoad *Accidentia* respectu *qualitatis absolutè*. *Potentia* alia est activa, quæ est principium transmutandi aliud in quantum aliud. *Impotentia* est privatio potentiæ. Et potentia est vel *naturalis*, vel *acquisita*. *Actus* autem est, qui dirigitur ad potentiam: qui vel *primus* vel *secundus*. Inde actus præsertim in bonis est præstantior, in malis deterior. *Relatè quatenus ex uno fluunt*: & quidem, *Unitas* est mensura rerum omnium, opponiturque multitudini contrariè & privativè; æquali verò *opponitur magnum* & parvum,

20. Sic de substantiis sensibilibus, sequitur de *insensibilibus*, quoad aliorum sententias proponendo. *Entia Mathematica* non sunt ab entibus insensibilibus separata, neque dantur Ideæ,

21. Sic proponendo, sequitur *refellendo*. (1.) Ptincipia Mathematica non possunt esse contraria. (2.) Æterna non possunt ex Elementis esse composita. (3.) numerus non est forma rerum.

22. Sic de *substantia* materiali, sequitur de *Immateriali præmittendo*. Metaphysica (1.) est sapientia primorum principiorum, (2.) agit de omnibus rebus, de causis, de contrariis.

23. Ex-

23. *Exponendo*: *Metaphysica* (1.) agit de sensibili, de corruptibili & de mobili substantia, (2.) omnis sensibilis substantia est mutabilis, (3.) substantia æterna est semper movens, expers omnis mutationis, (4.) præter primam substantiam dantur aliæ immobiles substantiæ, vocanturque intelligentiæ. Deus verò est ipse actus intelligens & omnia simul intelligit, est summe bonus & necessariò unus.

Cap. III.

De

Mathematica, Arithmetica & Geometria &c. &c.

24. Sic fuit *Communis* pars Philosophiæ Theoreticæ, sequitur *specialis* & est tum *Mathematica*, tum *Physica*.

25. *Mathematica* est scientia quantitatis, quatenus quantitas.

26. Estque vel *Pura* vel *Mixta*. *Pura* est, quæ solam quantitatem abstractè considerat, seu per se; Et est vel *Arithmetica*, vel *Geometria*.

ARITHMETICA.

27. *Arithmetica* est scientia numeri quatenus numerus. Estque vel *Generalis*, quæ

tractat de principiis & affectionibus numeri. *Principium numeri* est *unitas* secundum quam unumquodque numeratur. *Numerus* autem est multitudo ex unitatibus collecta.

28. Affectiones sunt, quatenus numerus comparatur, unde dicitur *Algorithmus* sive computatio, quæ instituitur vel per *Numerationem*, quâ numeri notantur, vel per *Compositionem* tum simplicem in *Additione & Subtractione*. *Additio* verò est numeratio simplex, quæ ex duobus addendis dicit totum. *Subtractio* verò est numeratio simplex, qua minor numerus subducitur à majori & relinquitur reliquus. *Conjuncta compositio* sive absoluta est in *Multiplicatione*, quæ est additio multiplicantis & multiplicandi, ut habeatur quæsitus numerus.

29 In *Divisione*, quæ est subtractio, qua divisor subducitur à dividendo, ut habeatur quotus.

30. *Numeratio Mixta* seu *Comparata* est, quæ exponit numerorum inter se comparationem & dicitur *Proportio*, quæ vel est *Arithmetica*, ubi est *æqualitas differentiarum*, vel est *Geometrica*, ubi est *æqualitas rationum*.

31. Quæ est vel *disjuncta*, & vel *simplex directa* in *Regula Detri* sive antea cum de tri-

tribus datis numeris invenitur quartus proportionalis: vel est *Reciproca*, in qua uti se habet tertius terminus ad secundum, ita primus ad quartum, & dicitur *Regula Aurea inversa*. *Multiplex proportio* est vel *Societatis*, ubi principali termino adhæret circumstantia temporis, diciturque *regula Societatis*. Vel est *Dupli*, quæ pro binis simplicibus assumit duos ab illis factos, unde dicitur *regula dupli*; Denique est *progressio Geometrica continua*, in qua quæ est ratio primi ad secundum, ita secundi ad tertium.

32. *Specialis Arithmetica est*, quæ considerat numerum relatè ad varias materias. Et est vel *scientifica* vel *popularis*.

33. *Scientifica* est vel *Logistica Astronomica*, quæ tractat tempus per sexagenas, gradus, signa, minuta, prima, secunda, tertia &c. vel est *Geometrica figurata*, quæ explicat numeros figuratos.

34. *Numeri* verò figurati sunt vel plani, vel *solidi*. *Plani* sunt, qvibus figuratur superficies, ubi potissimum sunt *Tetragoni*, unde extractio Radicis quadratæ. Vel sunt *solidi*, quibus exprimitur longitudo, latitudo & profunditas, ubi excellunt numeri *cubici*.

35. Vel alia est *Algebraica* sive *Cossica*, ubi

ubi est numerus *censi censûs* à quatuor numeris in se multiplicatis. Vel *Jur solidus* à latere quinquies posito. Vel *censi cubus* à sex numeris in se ductis.

36. *Arithmetica popularis* seu *Historica* est, quæ tractat de rebus numeralibus in quotidiano usu occurrentibus, ubi de monetis, unde dicitur *Symbiotica*, ubi & *Stathmica* proponitur.

GEOMETRIA.

37. Fuit *Arithmetica*, sequitur *Geometria*, quæ est scientia magnitudinis quatenus magnitudo. Estq; vel *generalis* vel *specialis*. *Generalis* est quæ agit de *magnitudinis principiis*; ut est punctum, cujus pars nulla est. Formale verò ejus est continuitas.

38. *Affectiones* sunt vel à *numeris*, ut est *Symmetria* quatenus invicem conveniunt; & ratio sive *rationalitas*, quatenus magnitudines habent habitudinem explicabilem. Vel sunt *affectiones à se ipsis*, ut est *congruentia*, quatenus inter se correspondent. Et *ascriptio* quatenus termini alterius terminis terminantur. Idque fit vel per *inscriptionem*, vel per *circumscriptionem*.

EUTHYMETRIA.

39. *Specialis Geometria* est, quæ considerat species magnitudinis: & vel est *simplicis* ut est *Euthymetria*, *scientia lineæ quate-*

nea linea. Est autem *linea* longitudo absque latitudine, cujus extrema sunt duo puncta. Estque vel *unius* ut *recta*, quæ æqualiter inter suos terminos interjacet. Vel *variè obliqua*, ut sunt aliæ species. Vel *est plurium*, & est tum *Angulus*, qui vel *homogeneus* qui est æquilaterus. Vel *hetero geneus*, qui vel *Isosceles* duobus æqualibus lateribus constans. Vel *scalenus* tribus inæqualibus constans lateribus.

EPIPEDOMETRIA.

40. Tum est *figura*, & est tum *superficies*: ubi *EPIPEDOMETRIA, scientia* superficiei quatenus superficies. Quæ vel *plana* vel *rectilinea* æqualiter inter suos terminos interjacens, ut est *triangulum* & *quadrangulum*. Vel est *curvilinea*, ubi *Cyclometria* scientia circuli quatenus circulus. Vel est *Gibba* & est tum *Sphærica* scientia superficiei Sphæricæ, quæ undique æqualiter distat à centro.

41. Tum est *Varia* & est tum *CONICA*, quæ à subjecta peripheria æqualiter fastigatur. Et ea est vel *Parabolica* vel *Hyperbolica*. Tum est *Cylindracea*.

STEREOMETRIA.

42. Fuit *Epipedometria*, sequitur *STEREOMETRIA*, qvæ est scientia corporis quatenus corpus. Quod tum *Planum* veluti,

Pyra-

Pyramis, quæ ex æqualibus triangulis fastigiatur.

43. Vel *Pyramidatum*, & est tum *Prisma* quod vel *quinque* ut *Pendactrum* quinque hedris comprehenditur. Vel sex *Hexaedrum*. Tum Solyedrum.

44. Tum *Gibbum* corpus est tum *Conus* tum *Cylindrus*. Fuit *Mathematica pura*, sequitur *MIXTA*, quæ est scientia rerum Physicarum quatenus sunt quantæ.

45. Et est vel *Generalis* diciturq; *GEODAESIA* quæest scientia propositæ magnitudinis quantitatem mensurans. Cujus *principiũ* est *Mensura*. Species continentur vulgatis versiculis :

Quatuor ex granis digitus componitur unus.
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus :
Quinque pedes passum faciunt : passus quoque centum
Viginti quinque stadium dant, sed miliare.
Octo facit stadia, at duplatum dat tibi Leuca.

47. *Specialis GEODÆSIA*, est quæ species magnitudinis considerat & tractat. Et est illa vel *planorum* corporum, diciturque *Longimetria*, quæ est scientia mensurandi planas figuras & lineas.

48. Vel est *compositorum* & est tum *Epipedometria*, quæ potissimum respicit *Trigonometriam*.

49. Vel

49 Vel est *STEREOMETRIA*, quæ est scientia mensurandi corpora solida.

50 Sic fuit *Mathematica* mixta generalis, sequitur specialis, & illa occupata est vel circa *atheria*, vel circa *sublunaria*.

51 *Circa atheria* est *URANOSCOPIA*, quæ est *scientia corporum cœlestium*.

52 Et est vel *Astronomia* vel *Astrologia*.

ASTRONOMIA.

53 *ASTRONOMIA* est *scientia de motu corporum cœlestium*.

54 Estque vel *absoluta*, vel *relata*.

55. *Absoluta* quæ sine respectu ad tempus agit de motu corporum cœlestium.

56. Estque vel *Spherica* vel *Theorica*.

57. *Spherica* est *scientia primi mobilis*. Cujus pars alia *communis*, quæ tractat de circulis *in genere*, deque orbibus cœlestibus, quorum decem. Pars *specialis* agit de *ipsis circulis in specie*, quorum alii sunt *externi*.

58. Ut *Horizon*, qui dividit Sphæram in partem *superiorem* & *inferiorem*, constituitque vel *communiter rectam*. vel *obliquam*, vel *parallelam* Sphæram.

59. Et *Meridianus*, qui dividit Sphæram in *Orientalem* & *Occidentalem* partem.

60. Est autem alius *primus*, à quo longitudo loci petitur.

61. Alii

61. Alii *secundarii*, & numerantur à Ptolomæo 36. quia ille istis regionibus novum assignat meridianum, quorum punctum *Verticale Senith* distat quinque gradibus. Habet autem pauciores meridianos, quam Geographi, quia hi tot numerant, quot sunt diversa initia & fines dierum & noctium per mediam horam; Et correspondent quinque gradibus septuaginta quinque milliaria Germanica, si quis in ortum vel occasum vel contrà proficiscatur.

62. *Interni circuli* sunt vel *majores*, qui dividunt Sphæram in duas æquales partes, vel *secundum longitudinem*.

63. Et est tum *Æquator*, qui dividit Sphæram in partem *Septentrionalem* & *Meridionalem*: constituitque *æquinoctia*, nempe *Vernum* circa principium Arietis (seu circa festum Gregorii) & *Autumnale* circa principium Libræ (seu circa festum Lamperti) secundum versum:

Lampert Gregori nox est aquata diei.

64. Vel est *Zodiacus*, qui est circulus obliquus, latus sedecim graduum. cujus poli distant ab Æquatore 23. gradibus cum semisse, habetque 12. signa secundum versum:

Sunt: *Aries, Taurus, Gemini, Cancer,*
Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper,
Amphora, Pisces. 65.

65. In media Zodiaci est *Ecliptica* seu via Solis ita dicta quia quando sub hac linea vel conjunguntur, vel Diametraliter opponuntur Sol & Luna fiunt Eclipses.

66. Secundum *latitudinem* sunt *Coluri*, imperfecti circuli, quia non omnibus apparent per Polos mundi ducti.

67. Estque alius *solstitiorum* transiens per puncta solstitialia nempe per Cancrum & Capricornum circa Vitum in æstate, circa Luciam in hyeme.

68. Alter est *æquinoctiorum* sub æquinoctium tum Vernale, tum autumnale.

69. *Minores circuli* sunt, qui non dividunt Sphæram in duas æquales partes, dicunturque alias *Parallelis*.

70. Et vel sunt *intermedii* sive interiores *duo Tropici*, qui determinant puncta solstitialia distantes ab æquatore 23. gradibus cum semisse.

71. Estque vel *Tropicus Cancri* sive æstivus quando dies est longissimus, versus Septentrionem; vel Capricorni quando nox est longissima, versus Meridiem.

72. Vel sunt *extremi* sive exteriores polares distantes à polis per 23. gradus cum semisse.

73. Et vel est *Arcticus* circa Polum septentrionalem per medium ferè caput majoriursæ

ursæ transiens. Vel *Antarcticus* versus meridiem.

74. Sic fuit *Spharica*, sequitur *Theorica* quæ est scientia motus secundi mobilis. Et vel est *generalis* quoad motus secundos per Sphæras seu orbes & affectiones.

75. Orbes verò sunt vel *simplices* ut est *Concentricus*, qui habet idem cum centro mundi centrum. Vel est *Eccentricus*, qui diversum à centro mundi habet centrum.

76. Habetque tum *nodos*, qui sunt loca quibus Eccentricus transit per Eclipticam.

77. Et est vel *ascendens*, quo planeta descendit versus meridiem, diciturque respectu Solis & Lunæ *Cauda Draconis*.

78. Vel est *descendens* quo planeta descendit versus meridiem, diciturque respectu Solis & Lunæ *Cauda Draconis*.

79. Tum habet *Circulos* & est tum *Epicyclus* circulus Eccentrico inhærens in suprema superficie deferens Planetæ corpus.

80. Tum est *æquans* circulus, qui juxta Eccentricum describitur è puncto superiori & diverso.

81. *Mixti orbes* sunt *deferentes* vel *apogæum* sive absidem aut augem, estque locus longissimè remotus à terra; vel perigeum seu oppositum augis, locus terræ proximus.

82. Affectio est motus, ex quo alius est

ratio-

ratione *circulorum* & vel *Zodiaci*, *longitudo stellæ* estque progressus in Zodiaco è signo in signum.

83. Et *Latitudo* estque recessus ab Ecliptica versus vel Meridiem. vel Septentrionem.

84. Vel ratione *Æquatoris* est *declinatio* recessus ab æquatore: vel *Septentrionalis*, vel *Meridionalis*, ubi est ascensio vel descensio notanda.

85. Ratione *duodecim signorum* est *aspectus*, qui vel *rectus in conjunctione*, cum versantur in eodem signo, vel est *oppositio* in oppositis signis.

86. Vel *collateralis* aspectus est vel *benignus* & est *Sextilis* quando 60. gradibus à se invicem distant, Vel *trinus* (*trigonus*) quando quatuor signis.

87. Vel est *malus aspectus quadratus* quando tribus signis distant.

88. *Specialis* pars *Theoricæ* est vel *Planetarum* vel *fixarum*.

89. *Planetarum* vel *luminarium*, ut Solis, qui terram superat 166.

90. Habetque *Eccentricum*, qui corpus Solare circumfert secundum successionem signorum: ita ut unoquoque die artificiali conficiat 59. min. prima.

91. Vel habet *Concentricum*, qui absolvit cursum suum 24. horar.

92. Al-

92. Alterum *luminare* est *Luna*, quæ minor terra tricies novies : & habet, *Eccentricum*, qui movetur ab occasu in ortum, secundum successionem signorum. (2.) *Deferentem Augem* & (3.) *Oppositum Augis*, (4.) *Epicyclum* & (5.) *Deferentem caput & caudam Draconis* in tertio gradu geminorum in tertium gradum Capricorni, movetque se ratione Eccentrici spacio dierum viginti septem.

93. Et habet *Luna crescens vel figuram invisibilem* in *conjunctione*, vel *visibilem*, & est tum *corniculata* quarta *die* à conjunctione sive prima quadra : vel dimidiata sexta die à conjunctione altera quadra.

94. Vel est *gibbosa*, qua plusquam dimidia conspicitur, & est *tertia quadra*.

95. Denique est *consistens* in plenilunio, sive in oppositione.

96. *Decrescens* cum Luna ordine inverso minuitur.

97. Sic fuerunt *Luminaria*, sequuntur *Stipatores*, *quorum communis est affectio*, quod *mobiles directi* moventur secundum successionem signorum ; vel *retrogradi* cum contra successionem signorum in inferiori parte Epicycli. Tum *stationarii* quando in lateribus Epicycli.

98. Secundum *species* sunt *stipatores* vel *supe-*

Superiores, ut est *Saturnus*, qui est supremus Planetarum in orbe Planetarum, colore plumbeo terra major nonagies & semel, in Eccentrico singulis triginta annis periodum absolvit. *Apogeum* ejus est in 27. Sagittarii *Perigeum* in 27. Geminorum.

99. Tum est *Jupiter*, Planeta lucidus inferior Saturno in sexto ordine, terra major nonagies quinquies, periodum absolvens 12. annis, Apogéum habet in 6. Libræ, perigéum in 6. Arietis.

100. Vel est *celerior Mars* rutilus in orbe quinto superans semel tantùm terram, Zodiacum percurrens duobus annis: Apogeum ejus in 27. Leonis. Perigeum in 27. Aquarii.

101. *Inferiores stipatores planetarum* sunt *Venus*, Planeta luminis splendidissimi proximum à Sole locum tenens, motum suum absolvit annuo spacio, terra minor vicies septies: & est *Phosphorus* diebus ducentis nonaginta duobus; etiam *Hesperus* per totidem dies. Ejus apogeum est in 7. Cancri.

102. Vel est *Mercurius* albicans planeta æquans terræ partem viginti duabus partibus, motum absolvens annuo spatio.

103. Sic fuit de *naturæ planetarum*; sequitur de *affectione* & est tum *Eclipsis*, quæ est

radiorum luminarium exclusio, corpore opaco interposito.

104. Estque vel *Solaris* vel *Lunaris*.

105. *Solaris* est quæ fit, quando inter visum nostrum & solem interponitur corpus Lunæ. Idque fit in conjunctione circa nodos intra terminos Eclipticos.

106. *Lunaris* est, quæ fit per umbram terræ inter solem & inter Lunam in oppositione. Utraque est vel *totalis*, quando totum Luminare Eclipsin patitur.

107. Et est aut *sine morâ*, aut cum *morâ*. Vel est *partialis* cum, pars quædam luminis obscuratur: & vel *dimidiata* quando de luminari sex obscurantur digiti.

108. *Digitus* autem est duodecima pars luminaris.

109. *Non dimidiata* est vel *major* quando plures quam sex digiti obsurantur; vel *minor*, quando pauciores partes obscurantur: & elapsis annis ferme novendecim Eclipses ad eadem Zodiaci puncta redeunt.

110. *Altera affectio* est *parallaxis*, quæ est aberratio visus, unde motus oritur vel apparens, vel verus.

111. Sic de *stellis erraticis*, sequitur de *stellis fixis*, quarum notanda *distinctio* & *affectio*.

112. Et

112. Et qvidem *ſummatim* ſunt 1022. in Aſterismis. 48.

113. *Sigillatim* ſunt vel in *Zodiaco*, vel *extra Zodiacum*.

114. In *Zodiaco* ſunt duodecim.

115. Vel *Septentrionalia*, & vel *quadrantis Verni*, ut:

Aries, Taurus, Gemini: Vel *Æſtivi*, cancer, Leo, Virgo:

116. Vel ſunt *ſex meridionalia*, & tum *quadrantis autumnalis*, Libraque, Scorpius, Arcitenens. Vel *hybernalis*, Caper, Amphora, *Piſces*.

117. Vel ſunt *extra Zodiacum* & tum ſeptentrionales ſtellæ 350. in Aſterismis 21. ſecundum verſum:

Urſa deinde *Draco*, *Cepheus*, *Booteſque Corona*,
Hercles & *Lyra*, *Olor*, tum *Caſſiopeia*, *Perſeus*.
Auriga, *Anguitenens*, *Serpens*, *Aquila* atque *Sagitta*.
Pegaſus, *Hinnulus*, *Andromede*, *Delphinq*; *Trigonum*.

118. *Meridianæ* 316. in 15. Aſteriſmis.

Cetus & *Eridanus*, *lepus*, & *nimboſus Orion*,
Syrius & *Procyon*, *Argoratis*, *Hydra*, *Craterque*,
Corvus, *Centaurus*, *Lupus*, *Ara*, *Corollaque Piſcis*.

119. *Affectio* est quatenus vel refertur *ad modum*, vel *secundum* tum *Ecliptica*m & est *longitudo stelle*, distantia ejus in Zodiaco ab Arietis principio secundum successionem signorum.

120. Vel est *latitudo stellæ*, quæ est distantia ab Ecliptica versus polum.

121. Vel *secundum æquinoctialem*, & tum est *recta* partim *ascensio*, quando major pars de Æquatore supra Horizontem ascendit, quam de Zodiaco; uti *descensio* recta contraria est.

122. Partim est *declinatio*, quæ est recessus stellæ ab Æquatore versus Polum.

123. Ratione *motus primi*, quando referuntur ad Horizontem tantum est *ortus* & *occasus*.

124. Qui vel est *Astronomicus*, quando oriuntur vel occidunt stellæ. Ubi *ascensio* & *descensio obliqua*.

125. Vel est *Poëticus*: ratione Horizontis estque tum *Cosmicus* quando stella cum sole oritur, uti *occasus cosmicus* est, quando stella occidit, Sole oriente.

126. Vel est *Acronycus* & est *ortus*, quando stella adscendit & Sol occidit. *Occasus* est quando cum Sole occidit.

127. Ratione *Radiorum* Solis est *ortus* & *occasus Heliacus*. Et *ortus* quando Stella, quæ

qvæ ante ortum Solis non conſpiciebatur apparet : *Occaſus* quando Stella ob ſolem non apparet.

128. Ad *Horizontem & punctum quando referuntur* ſecundum *Azimuth* qui ſunt circuli verticales, per quos diſtantia ſtellæ à quatuor mundi plagis cognoſcitur.

129. Et *Almucanturath* per quos ſtellarum altitudo ſupra Horizontem cognoſcitur.

ASTROLOGIA.

130. Sic fuit *ASTRONOMIA*, ſequitur *Aſtrologia*, quæ eſt ſcientia influxus cœleſtis.

131. Cujus *pars alia generalis*, quæ conſiderat communia principia & affectiones. *Principia* ſunt: aſtra agunt in inferiora per lumen, & influxum *per ſe*; *per accidens* etiam per motum tam communem quàm proprium.

132. *Affectiones* ſunt qvæ deſumuntur tum ex *Viribus Aſtrorum* : vel quatenus *Planetæ*.

133. Inter quos quoad *effectus* alii *certi* & ſunt *benefici*, ut *Jupiter* & *Venus*, ſimulque *Luna*.

134. *Maleficî Saturnus* & *Mars*, quorum hïc eſt calidus, ille ſiccus.

135. *Indifferentes* verò *Sol* & *Mercurius* Vel *quatenus* ſunt *ſtellæ fixæ* ubi potiſſimum ſigna Zodiaci conſideranda ſunt: vel *quoad*

tempus, Vernalia, Aries, Taurus, Gemini; vel *Æstivalia*, Cancer, Leo, Virgo; vel *Autumnalia*, Libraque Scorpius, Arcitenens; vel *Hybernalia*, Caper, Amphora, Pisces.

136. Quoad *qualitatem* secundum elementa.

Ignea sunt Aries, Leo Chiron; *Terrea* Taurus,
Virgo *juncta* capro. Sed *pollent* aëre fratres.
Libraque, fusor *aquæ*: naturam imitantur aquarum.
Et *cancer* rutilans & *scorpius* & duo *pisces*.

137. Tum ex *dignitatibus* quæ sunt vel *essentiales*, ut *exaltatio, trisdicitus, finis, carpentum*.

138. Vel sunt *accidentales* ex positu ad solem & respectu configurationis.

139. Quoad *domus* est *Thematica* quæ docet erigere Schema cœli, ubi duodecim domus secundum versum:

Vita, lucrum, fratres, genitor, nati, valetudo,
Uxor, *mors, pietas, regnum, benefacta-*
que carcer.

140. Sic fuit *generalis Astrologia*: sequitur *specialis*, quæ agit *separatim* de *influentiis cœlestibus*.

141. Et

141. Et est vel *Catholica*, quæ prædicit eventus universales.

142. Estque vel *Idiomatica*, de gentium naturis, proprietatibus & habitudine locorum secundum regiones & urbes præcipuas.

143. Vel est *Symptomatica*, quæ prædicit accidentia insignia regionum ex certo syderum positu & domino anni in initio Lunationum

144. Et ejus est *judicium* tùm *Electivum*, de rebus faciendis: vel *Jatricum* de *Phlebotomia* & *Sacrificationibus*, balneis & tondendis pilis.

145. Vel *Oeconomicum* de satione, plantatione, lignorum sectione.

146. Tum *indicativum* de venatione, infantum ablactatione & mactatione.

147. Vel est *Genethliaca*, quæ est scientia singulorum hominum naturam, quod temperamentum & eventum ex themate prædicens.

148. Ejus pars est alia *Generalis* præmittit & *erectionem thematis*.

149. Et *correctionem* tum *Vulgariter* per trutinam Hermetis ex tempore conceptionis: tum *peculiariter* per *Animodar* ex accidentibus nati; & per præcedentem *conjunctionem*, & oppositionem luminarium.

150. Alia est *specialis*, quæ judicium com-

mune & universale proponit de *bonis internis*, ut sunt vita, temperamentum, ingenium, mores, valetudo: de *bonis externis*, ut sunt: divitiæ, honores, parentes, fratres.

151. *Proprium judicium* absolvitur directionibus, profectionibus, Transitibus & Revolutionibus.

CALENDARIOGRAPHIA.

152. Sic fuit *Astrologia* absoluta, sequitur *relata*, quæ est *Calendariographia*, scientia motuum cœlestium per effectus rationem temporis ostendens.

153. Estque ejus pars alia *generalis*, quæ distinctim de tempore tractat; dicitur alias *Computus*.

154. Et vel quoad principia & affectiones *communes*, quatenus pendent à communi motu.

155. Principia habent tum *partes*, quæ sunt vel *simplices* ut sunt, *scrupula* vel *minuta*, sexagesima pars horæ, quo Æquator per quindecim minuta vel ascendit vel descendit.

156. Vel est *composita* pars, & est tum *quadrans* horæ, spatium temporis, quo tres gradus & 44. min. Æquatoris vel ascendunt vel descendunt.

157. Tum est *hora*, & quæ vel *æqualis*, quæ constat 60. minutis primis, dum Æquator 15. gradus conficit, diemque in 24. partes dividit.

158.

158. Vel *inæqualis*, quæ diem in 12. partes æquales. dividit, quarum quantitas variat, præter in æquinoctiis, quotidie; appellationesque suas habet à planetis.

159. Tum *species temporis*, estque tum dies, mora solis certo spatio definita.

160. Et est vel *Astronomicus*, qui vel *naturalis*, quo integer Æquator semel circa terram volutus, 24. horarum spatio determinatur.

161. Vel *Artificialis*, spacium ab ortu solis usque ad occasum.

162. Estque *Brevissimus* in solstitio hyemali. *Longissimus* in solstitio æstivali.

163. *Dies* verò *Artificialis* dividitur in tempus *antemeridianum* & *pomeridianum*.

164. Vel dies *Politicus* est spacium, constans die artificiali & nocte, quique variat secundum versus:

Græci mane diem capiebant Solis ab ortu:
Vespere *Judæi*: scrutantes sydera cœli
Dum Sol in medio fulget nitidissimus orbe:
Christicolæ incipiunt mediæ sub tempore noctis.

165. Tum *Septimana*, quæ est spacium septem dierum in orbem recurrens.

166. Sic ex *motu communi tempus*; sequitur ex *motu proprio*.

 167. Quod

167. Qvod vel ſecundum *naturam*, vel ſecundum *affectionem* conſideratur.

168. Quoad *naturam* eſt tum *Menſis*, cujus declaratio. Et eſt vel *naturalis*, vel *civilis*.

169. *Naturalis* menſis eſt, qui à luminaribus naturali ſuo motu menſuratur.

170. Et eſt vel *Solaris* ſpacium temporis, quo Sol ſignum peragrat.

171. Et vel *medius æqualis* totum in 12. menſes annum dividens.

172. Vel *Verus inæqualis*, *maximus* in apogeo, quando in cancro Sol, *minimus* in perigeo in capricorno.

173. Vel *Lunaris*, quo Luna proprio motu Zodiacum peragrat.

174. Eſtque vel *Principalis*, tum *periodicus*, quo Luna motu ſuo ad idem Zodiaci punctum redit: vocaturque peregrinationis.

175. Et eſt vel verus ſeu *inæqualis*, vel medius ſeu *æqualis* 27. dierum.

176. Vel eſt *Synodicus*, ab una conjunctione ad ſequentem inter duo novilunia tempus. *Verus* 28. dierum, *medius* 29. dierum.

177. *Minus principalis* eſt menſis apparitionis, eſtque fere 28. dierum, quo potiſſimum Aſtronomi utuntur.

178. *Civilis* menſis eſt certus dierum numero.

merus, quo unaquaque gens duodenas anni partes observat: ubi *mixtus* vel maximè apud nos notandus secundum versus:

179. Terdenos *September* habet, totidemque *November*,
Junius, *Aprilis*: reliquis super additur unus.
Sit nisi bis sextus vicenus *Februus* octo.

180. *Appellatio* vel *vulgata*, quoad *numerum* secundum versiculum:

Jan. Febr. Mart. Apr. Maj. Jun. Jul. August. Octo. Decembr.

Quoad *terminum* secundùm versum.
Mensis ubi completur (*in plenilunio*) ibi lunatio detur.

181. Vel *Romana* secundùm versiculos:
Prima dies Mensis cujusque est dicta Kalendæ:
Majus sex Nonas, October, Julius & Mars:
Quatuor at reliqui: tenet Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic esse Calendas,
Quas retro numerans dices à mense sequenti.

182. Tum *Annus* quoad *totum*, & est tempus certo mensium numero definitum. Vel *Astronomicus*, quo Sol à certo puncto Zodiaci ad idem revertitur.

183. Vel *politicus*, quo ex impositione humana in orbem recurrit; Et à variis variè inchoatur, *Astronomi* ab æquinoctio vernali.

184. Estque vel *communis* seu *Julianus* 365. dierum, 6. horarum secundum versum:

185. LXV. tria C. Sex horas continet annus.

186. Vel *bissextilis*, qui cognoscitur si per 4. dividatur annus.

187. Quoad *partes* in processu anni sunt 4. secundum versum.

Martius à medio *Ver* ducit; Julius *æstum*;
Autumnum September habet *Brumamque* December.

✠ Vel

Æstas à geminis, *Autumnus* virgine surgit
Bruma Sagittifero, *Ver* piscibus incipit esse.

In solis ingressu notandi versus.

Inclyta, laus, justis, impenditur; hæresis, horret,
Grandia; grex, gratus, Faustus, gratatur honore.

189. Ubi 12. voces 12. mensibus respondent & se ordine sequuntur: ut *prima* Januarium denotet; quota autem in Alphabetho prima tot subtrahantur ex 20. in Juliano anno, in Juliano ex triginta & erit dies ingressus Solis in signum.

190. Sic

190. Sic fuit *consideratio temporis* secundum *motum*; sequitur *secundum affectiones*, seu *Canones*, & quidem distinctim, ubi observandæ sunt *notæ* vel *respectu temporis Astrologici* ut sunt: *Cyclus* & *Epactæ*. Cyclus vel *Solis* vel *Lunæ*.

195. *Solis* cyclus, cujus *definitio* est systema 28. annorum, constans ex septem Julianis lustris, inde septem priores literæ adhibentur.

192. Ejus *inventio* per *observationem*, si novem ad annos datos addantur & aggregatum per 28. dividatur, residuus numerus est cyclus Solis. Quotiens verò revolutionem à nato Christo indicat.

193. *Applicatio*: nam residuum monstrat literam dominicalem: quod sidüæ sint literæ est bis sextus & prior usque ad Festum Matthiæ, posterior ad finem usque anni secundum versum:

Grandia Frendet Eques Dum Cernit Belliger Arma.

Ita ut ab ordine inverso incipiatur, nempe arma habeat 28. belliger 27. cernit 26. & quarto loco sit C. D. cum annus embolis malis dum & *eques* 25. & *frendet* 24. ubi prior litera usque 14. Februarii, altera ad finem.

194. Vel est *Lunaris*, qui est systema novendecim annorum, tot enim annis redeunt Lunationes ferè. 195.

195. Ejus *inventio* est, si datis annis addatur unitas & residuus numerus dividatur per novendecim.

196. Tum sunt *Epactæ*, & sunt excessus dierum, quibus Lunarem annum superat *Solarii* communis. nempe per undecim dies.

197. Ejus inventio ut multiplicetur aureus numerus, sive cyclus Lunaris per 11. productum dividatur per 30. quod restat, denotat *Epactas*.

198. Ex quibus *æras Lunæ* quotidie disci potest; nempe si ad datum diem addantur Epactæ, & abjectis 29. *aggregatum* ostendit ætatem Lunæ ante Martium, post Martium numeretur quod sunt dies excluso Martio, tot unitates addantur Epactis, & erit quæsitum.

199. Vel respectu *temporis Chronologici* seu *politici*, estq; tum *indictio*, quæ est systema 15. annorum Solarium constans extribus lustris Romanis.

200. Ejus *inventio* est, si ad datum annum addantur tria & aggregatum divitatur per 15. juxta versum:

201. Si tribus adjunctis Domini diviseris annos
Ter tibi per quinos; indictio certa patebit.

202. Tum sunt *Epochæ*, quæ sunt termini vel respectu *motuum cœlestium*.

203. Et

203. Et est vel *Epocha Astrologica* radix motuum cœlestium, vel *Chronologica* notabile tempus aliquod, ob insignem aliquam rem gestam, à quo supputatio inchoatur.

204. Respectu *temporis Ecclesiastici* sunt festa, vel *Ecclesiastica*, quorum alia Generalia ut *hebdomarsa*, vel universalia in memoriam beneficiorum à Deo exhibitorum, ut dies Natalis Christi.

205. Et sunt alia *immobilia*, quæ in certas mensium dies incidunt secundum versus:

Sex sunt ad *Puri*: bis sex sunt usque *Philippi*:
Jacobi totidem: atque novem sunt ad *Michaëlem*:
Sex ad *Martini*: sex ad *Natalia Christi*:
Adde dies *octo* totus complebitur annus:

206. Et horum notandum *fundamentum* quod Pascha ubi versus.

Pascha *nec* undenas, Apriles *ante Calendas*,
Nec *post* septenas Maji *videt esse Calendas*.

207. Et *intervallum* quod vel *minus* spacium inter Nativitatem Christi & Bachanalia. Post Dominicæ nominatæ:

In *Reuteri Oculis Latantes Junge Palumbes*

208. Post *Pascha*: *Quem Mea Jusserunt Carmina Victor Erit.*

Vel

209. Vel *interVallum majus* à Trinitatis festo usque ad festum primi adventus, ubi versus:

Adventus Domini sequitur solennia Lini.

210. *Festa Politica* sunt tum quatuor quadrantes anni, ubi

Post *Crux*: post *Cineres*: post *Spiritus*: atque *Lucia*:

Sit tibi in Angaria quarta sequens feria.

211. Tum dies caniculares, de quibus vers9:

Margaris os canis est, caudam *Laurentius* adfert.

212. *Conjunctim* est in *Calendarium*; quod vel *eruditum Romanum*, vel *Vulgare*, tum *Vetus Julianum*, vel *novum Gregorianum* per decem dies quod anticipat.

GEOGRAPHIA.

213. Sic fuit *Mathematica* respectu *superiorum*: sequitur *respectu inferiorum*. Et vel *circa substantiam*, estque *GEOGRAPHIA*, quæ est scientia globi, terrestris, quatenus mensurabilis.

214. Cujus pars alia *generalis*, quæ principia per hypotheses & affectiones tractat.

215. *Principia* sunt. *terra* & *aqua* unum constituit globum, in medio mundi, & propterea est immobilis.

216. Quod *affectiones* communes *mensurationis* secundum quam quantitas & circumferentia est 5400. milliarum, Profunditas 1718.

217. *Par*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [44] - 34
PUBLIC DOMAIN

217. *Particularis ratio* est tum per *circulos* quoad *occasum est longitudo* loci, quæ secundum antiquos incipit ab insulis fortunatis; secundum novos ab insulis S. Michaëlis. In numerandis verò longitudinibus retinetur Ptolomæi terminus.

218. Quoad *medium* est *latitudo terræ* ab Æquatore versus polum.

219. Tum per *intervalla*, vel *majora* & sunt respectu circulorum Zonæ, quarum secundum Veteres quinque fuerunt, uti habet Virgilius lib. 1. Georg.

Quinque *tenent cœlum Zonæ*: quarum una coruſco
Semper sole rubens & torrida semper ab igni:
Quam circum *extremæ* dextra lævaque trahuntur
Cœrulea glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter, mediamque *duæ* mortalibus ægris,
Munere concessæ *divum*.

220. Suntque vel *intemperata*, ut torrida.

221. Hujus Zonæ *proprietates* sunt 1. omnia sydera æqualiter oriuntur & occidunt. 2. perpetuum habet æquinoctium, Solem bis verticalem, & per consequens duas æstates in

in principio Arietis & Libræ, & duas hyemes in principio Cancri & Capricorni.

222. Vel *Frigida*, cujus proprietates ſunt: quædam 1. ſydera nunquam oriuntur vel occidunt, ſed circum circa rotantur, 2. per ſex Menſes unum diem & per tot unam noctem, unum ſolſtitium.

223. Vel *temperatæ* & vel *ſeptentrionalis*, vel *meridionalis*.

224. *Proprietates* inhabitantiũ ſunt 1. multæ ſtellæ ſunt perpetuæ apparitionis, 2. duo æqvinoctia, duo ſolſtitia habent, 3. una eſt æſtas, una hyems.

225. Per *minora inter Galla* ſunt tum *parallelι*, qvi ſunt circuli æqvediſtantes ab æqvatore, numerantur 180. novusqve ſemper pingitur qvando dies qvarta horæ parte excedit. Et inveniuntur qvando reſiduum horarum à 12. abſtractum à longiſſimo die qvadruplatur.

226. Tum Climata, qvæ ſunt ſpatia inter duos parallelos, ubi dies augetur dimidia hora.

227. Numerantur ſecundum *Veteres* & ſeptem â locis celeberrimis, per qvos tranſeunt, 1. per Meroen, 2. per Syenen, 3. per Alexandriam, 4. per Rhodum, 5. per Romam, 6. per Pontum Euxinum, per oſtia, 7. Boryſthenis.

228.

228. Et ſecundum *Ptolomæum* novem numerantur Æthiopicum, Arabicum, Ægyptiacum, Syriacum, Italicum, Germanicum, Svecicum, Glaciale, & Boreale.

229. Secundum *Recentiores* numerantur 24. His reſpondent tot climata Auſtralia, per nomen ἀντὶ inſignita.

230. In globo ſemper per decimum qvemqve meridiani gradum Paralleli ducuntur. Inveniuntur, ſi à longiſſimo die 12. horæ ſubtrahantur & reſiduum dupletur, *climata*. Cauſa *autem*, qvare modo primus meridianus in inſulis *Acoribus ſeu Corvo* floridis per 15. gradus ab inſulis Fortunatis diſtet, ea eſt, qvia nulla ibi deprehenditur vis lapidis magnetici.

231. Reſpectu *terræ* vel qvoad *ſitum*, tum *communem*, ubi notandus verſiculus:

232. Ad Boream *terræ*, ſed *cœli menſor* ad Auſtrum:

Præco Dei auroram videt, occaſumqve *Poëta*.

233. Vel *qvoad umbram* qvatenus umbræ vel incidunt â *capite* tum *biformes*, ſunt *Amphiſcii* biumbres in Zona torrida, qvibus elevatio poli minor 24. gradibus; in æqvinoctiis ſunt anumbres.

234. Tum *uniformes* & ſunt *heteroſcii*, qui

qvi habitant in Zona temperata & ſeptentrionali & meridionali, habent etiam umbram illam (uti meridionalis meridionalem) qvorum elevatio à 24. grad. usqve 66.

235. A *lazere* qvi habent umbram ſunt Periſcii, qvi habitant in Zonis frigidis ultra elevationem 66. graduum.

236. Qvoad ſitum *Specialem*, qvomodo incolæ ſeſe ad invicem habeant.

237. Et vel inhabitant *eandem Zonam*, & ſunt *Perſæci* qvi habent eandem poli elevationem, ſed ſub diverſis meridianis, , diſtant invicem longitudine 180. gradibus. Qvibus eadem cœli & anni conſtitutio, intervalla dierum & noctium æqvalia, ſed ubi illi diem, hi noctem habent.

238 Vel inhabitant *diverſam* in eodem *hemiſphærio*, ſuntqve *Antœci*, qvi in diverſis plagis mundi, dum alii arcticum, alii antarcticum polum vident, & ratio anni iis contraria.

239. In diverſo *hemiſphærio* ſunt *Antipodes*, qvi habitant ſub imo Meridiano, ſed in oppoſitis *punctis* diſtantes 180. gradibus, alii in Boreali, alii in Auſtrali plaga.

240. Sic de *globo Terreno generaliter*, ſeqvitur *ſpecialiter*, qvoad *Topographiam* & *Hiſtriodromiam*.

241. Ibi conjunctim *continens pars* terræ magna continua; *Inſula* portio terræ undiqve

qve aqvis circumfluis cincta; *Peninſula* ſive *Cherſoneſus*, qvæ aqvis ferè cincta, ſed aliqva parte cum continente cohæret. *Iſthmus* angusta terræ portio inter duo maria.

242. Reſpectu *aqvæ*, ibi *mare* Occidentale, Orientale, Septentrionale & Meridionale.

243. Recentiores ita dividunt: Qvicqvid marium interfuſum inter Aſiam, Africam & Megallanicam, id vocant *Del-Zur* ſive *Auſtrinum*; Qvicqvid inter Americam, Europam & Africam usqve ad Æqvatorem, mare *Delnorth* ſeu *Septentrionale*. Deinde Æthiopicum & *Indicum*.

244. *Sinus* recenſet etiam qvinqve.

245 *Diſtinctim* terræ ſunt vel *notæ* vel *Veteres*, harum *Minor pars*, Europa. Terminatur verſus Septentrionem Oceano glaciali, ab Occidente mari Atlantico; meridie Mari mediterraneo, ab Oriente Ponto Euxino & fluvio Tanaim.

246. In *Europa* ſunt Finmarchia, Norvvegia, Bornia, Lappia, Finlandia, Svecia, Dania, Tartaria minor, Muſcovia, Littuania, Boruſſia, Livonia, Polonia, Hungaria, Græcia, Italia, Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Helvetia, Belgia, Germania.

247. *Majores* ſunt tum *Aſia*, qvæ à Septentrione clauditur mari Hyperboreo, ab Oriente Oceano, à meridie mari Indico, ab Occiden-

cidente est sinus Arabicus, Lacus Bœoticus & Tanais amnis; habetqve qvinqve partes, Tartariam, Chynam, Indiam duplicem, Persiam & Turcicum imperium: ubi Arabia, Palæstina, Syria.

248. Tum est *Africa*, qvæ totam ferè Zonam torridam occupat, ab ortu clauditur mari rubro, à meridie Oceano Æthiopico, ab occasu Atlantico, à Septentrione mari mediterraneo: Dividiturqve in partes septem.

249. *Incognita* & nova pars orbis est *America*, ab Americo Vesputio Florentino nomen habens, & detecta Anno 1492.

HISTRIODROMIA.

250. *HISTRIODROMIA*, ars navigandi.

251. In qva notanda, tum *instrumenta* ut sunt *bolis*, *compassus*, tabulæ hydrographicæ, & qvadrans nauticus.

252. Tum *regulæ*: 1. Qvi navigant versus septentrionem vel meridiem sub uno meridiano permanent. 2. Qvi versus ortum vel occasum sub uno parallelo.

253. Sic fuit *Mathematica mixta* considerans substantiam; seqvitur *considerans accidentia*, ex tertia specie Qvalitatis, & est tum *qvoad auditum Musica*.

MUSICA.

254. Est autem MUSICA scientia soni numerabilis, vel numeri sonori.

255. Et

255. Et dividitur in *generalem* & *specialem*. *Generalis* est, qvæ de principiis & affectionibus cantilenæ agit.

256. *Principia* Musica sunt in *longitudine Figura & Tactus*.

257. Est autem *Figura* Musica elementum sive principium continuationis per longitudinem durantis mensurabile tactu.

258. Et est vel *soni*, vel *silentii*. *Soni figura* dicitur Nota, quæ est figura systemati Musico inscripta, secundum quam sonus formatur.

259. Et est iterum vel *simplex*, numero octo: *Maxima, longa, brevis, semibrevis, fusa, semifusa, minima, semiminima*.

260. *Composita* nota est, quæ cum alterâ connectitur, & est vel initialis vel media vel finalis: quibus accidit *variatio* per auctionem valoris, & *syncopatio*, quæ est notarum in tactu luxatio.

261. *Figura silentii* est Pausa, signum suppriмendi soni, qvæ vel *universalis* omnium vocum: vel *particularis* notarum omnium, vel aliquarum ut repetitionis, figurarum & custodum.

262. *Tactus* est *motio successiva* in cantu æqualitatem mensuræ dirigens. Estqve vel *simplex* in duas partes æquales divisus, vel *proportionatus* in tres æquales partes divisus.

263. Se-

263. Secundum *profunditatem* æstimatur vel per voces, quarum sex veteribus ex illo hymno:

UT queant laxis
REsonare fibris
MIra gestorum
FAmuli tuorum
SOlve polluti
LAbii reatum
Christe Redemptor.

264. Secundum recentiores sunt Bo Ce Di Ga Lo Ma Ni.

265. Est autem *vox symbolum* alicujus soni.

266. Cujus notandæ literæ, *signatæ, exteriores* E. G. C. *interiores* B. rotundum quadratum seu cancellatum.

267. Non *signatæ* sunt A. D. E.

268. Sedes vocum est *systema* ex lineis parallelis efformatum.

269. Vel per *intervallum*, quod distantia duobus sonis circumscripta. Estque aliud *simplex*, qvo octava coutinetur διὰ πασῶν: quod intervallum est perfectum, ortum ex multiplici proportione, & ex septem signatis clavibus prodit.

270. Compositum *intervallum novius* est vel *majus*, estque vel ex *super particularibus*, ut est *diapente* seu *quinta*. Quæ est in-

intervallum muſicum proportionis ſeſqui alterius id eſt inter duo & tria.

271. Et Διατέσσαρον ſeu *qvarta* intervallum proportionis ſeſquitertiæ, id eſt inter tria & quatuor.

272. Vel *minus intervallum* ut major tertia proportionis ſeſquiquartæ id eſt inter quintam & quartam.

273. Tum *ſemiditonus* ſive *tertia minor* proportionis ſeſquiquintæ, id eſt inter qvintam & ſextam.

274. *Ignotius* vel *majus*, ut eſt tum *tonus*, qui vel *major proportionis ſesquioctavæ*, h. e. radicatur in novem & octo, vel eſt *minor*, proportionis ſesquinonæ inter decem & novem.

275. Tum *Semitonium* quod iterum vel *majus* proportionis ſesquidecimæ quintæ, h. e. habet ſeſe ut ſedecim ad quindecim.

276. Vel *minus* eſt proportionis ſesquivicesimæ quartæ, h. e. ſeſe habet ut viginti quinque ad quatuor.

277. *Minora* ſunt tum *diaſchiſma*, *majus* proportionis ſesquitriceſimæ, inter triginta unum & triginta. *Minus* eſt *diaſchiſma* ſesquitriceſimæ priwæ, h. e. inter triginta duo & triginta unum.

278. Tum eſt *comma*, proportionis octuageſimæ.

279. Ex *superpartiente*, & est tum *sexta* major, quæ est proportionis superbi partientis tertias, h. e. radicatur in quinque & tribus.

280. Tum sexta *minor* est intervallum proportionis supertripartientis quintas, h.e. radicatur in octo & quinque.

281. *MVSICA* sequitur *specialis*, quæ etiam dicitur *Practica*, ubi sunt *concordantia & toni*. *Concordantia* est acuti soni & gravis mixtura.

282. Et est vel *perfecta*, quæ per se stare potest in cantilenâ, & est *quinta*, *octava*, *duodecima*, *decima quinta*, & *decima nona*.

283. *Imperfecta concordantia* sunt, quæ tantum concurrunt in cantilena, & sunt itidem quinque: *Tertia*, *sexta*, *decima tertia*, & *vigesima*.

284. *Tonus* autem est *regula* secundum quam cantus certo ambitu concluſus dirigitur.

Estque vel *simplex*, vel *mixtus*.

285. *Simplex* est vel *Authenta* vel *plagialis*.

Authenta sunt qui à suâ clave ad octavam ascendunt.

286. Et dividuntur harmonicè, suntque imparis numeri, & sunt: Doctus, Phrygius, Lydius, Myxolydius, Æolius & Jonicus.

287.

287. *Plagiales* sunt qui dividuntur arithmeticè suntque paris numeri, ut Hypodorius Hypophrygius, Hypomyxolydius, Hypo-Æolius, Hypojonicus. Quorum proprietates sequentibus versiculis continentur.

288. Est hilaris *primus*; mœrore *secundus* abundat.

Tertius austerus; *quartus* blandiminis autor.

Et asper *quintus*; dat lenia cantica *sextus*.

Septimus indignans; placans *octavus* habetur.

Est suavis *nonus*; sed tristis erit tibi *denus*.

Undenus *lepidus*; lachrymabilis *ultimus* esto.

289. Cognoscuntur autem *Toni* partim ex *signis notioribus*, ut *ex fine*, nempe ex clave finali, primi & secundi est D. tertii ac quarti E. quinti & sixti F. septimi & octavi G. noni & decimi A. undecimi & duodecimi C.

290. Partim ex *difficilioribus*, & sunt tum *ambitus*, qui est regula significans quantum cantilena intendi ac remitti debeat, ubi interdum conceditur licentia, estque semper in *authentis quinta infra*, in *plagialibus supra*.

291. Tum est *repercussio*, qua tanquam propria phrasi modus decurrit secundum versus,

Dorius est hilaris, Re, La sonat ordine *primus.*
RE Fa mœstus amat *Hypodorius* ipse *secundus.*
Austerus *phrygius* Mi Fa vult *tertius* esse.
Mi La *blandisonat Hypophrygius* tibi *quartus.*
Lydius est asper Fa Fa tribuit sibi *quintus.*
Fa La lenis habet *Hypolydius* utpote *sextus.*
Septimus indignans Ut Sol *Myxolydius* edit.
Ut Fa dat plorans *Hypomyx. Octavus* habendus.
Re La svaviter *Æolius* canit ille *nonus.*
Tristis *Hypoæolius* Re Fa notat hic tibi *denus.*
Ut Sol *undecimus*, jucundus *Jonicus*, effert.
Flebilis *extremus* Fa La *Hypojonicus* addit.

292. *Mixtus Tonus* sive compositus est, quando authenta cum plagiali jungitur, ita tamen ut alter dominetur in Discanto & Tenore, & servitium sit in Alto & Basso.

293. His Tonis competit *transpositio* & *tropus* tonorum. *Transpositio* est modi duri in mollem legitima translatio; & sit si in quartam eleventur, vel in quintam deprimantur.

294. *Tropus* verò *tonorum* est breviusculus concentus in cujusque modi repercussione Superiori incipiens. Figurantur verò modis troporum *Psalmi* tum *majores*, qui sunt Novi Testamenti: tum *minores*, qui sunt Veteris Testamenti. 295.

295. Quorum *affectio* est, tum in *intonatione* & quidem psalmi *majores* cum *ascensu minores* verò in *unisono* maximè incipiuntur.

296. *Tum* in *lectione* ubi observandus est accentus Musicus, qui l. *acutus* in elevatione syllabarum, l. gravis & descendit per qvintam, l. etiam per tertiam, diciturque *mediatus*.

297. *Particularia* sunt de *applicatione*, & consistunt *indistinctione*, tum *vocum* quarum *extremæ* sunt Discantus & Bassus, *mediæ* Altus & Tenor. Secundum versus Mantuani:

298. *Primus* in aure sonus dominatur
Cantus acutus.
Sed *Tenor* est vocum *rector*, ductorque canentum.
Altus Apollineum carmen depingit & ornat;
Bassus alit voces, confortat, fundat & auget.

299. Tum *cantuum*, ubi est *textus* observandus, qvi est anima cantus, & *contra punctus*, qvi habet æqvalem compositionem.

300. Estqve vel *simplicior* in qvo partim perfectæ, partim imperfectæ concordantiæ concurrunt.

301. Vel est *artificiosior* qvando omnes voces ex diversis notis constituuntur, ubi occurrunt regulæ generales.

302. Duæ vel plures *consonantiæ perfectæ*, ejusdem generis & proportionis in eodem cantu neqve *in gradibus*, neqve in *saltibus* sese seqvi possunt.

303. *Perfectæ consonantiæ*, clausularum & cantionum exordia constituunt.

304. *Speciales* Regulæ sunt: de *Fugis* & *Harmoniis*.

305. Sic fuit *Mathematica Disciplina*, *circa auditum*; sequitur quæ est *circa visum* & dicitur:

OPTICA.

306. *Optica*, qvæ est scientia *lineæ* visivæ

307. Ejus pars alia *generalis*, quæ considerat *objectum* & *modum*: *Objectum* est visibile primum.

308. Et est tum *lux*, quæ est qualitas inhærens corpori visibili radians.

309. Tum est *lumen* qualitas visibilis à luce manans.

310. *Visibile secundum* est *color*, qui est qualitas qua corpora sunt visibilia.

311. Est autem *color* alius *simplex*, ut est *albedo* quæ disgregat visum, & *nigredo* quæ congregat visum.

312. Alius *color* est *compositus* ex istis duobus *coloribus extremis*, estque *flavus*, *ruber*, *cæruleus* & *viridis*.

313. Apprehenditur verò *visibile per radium* & per *perspicuum*, 314.

314. *Radius* est specirejes visibilis per medium perspicuum transiens.

315. *Perspicuum* est corpus interminatum pervium.

Et est vel *purum* ut cœlum & elementa leviora.

316. Vel *crassum* tum *naturale*, ut ignis focalis & aqua. Tum *artificiale*, ut vitrum.

317. Perspicuo *oppositum* in genere est *opacum* radiis visivis non pervium, unde fit corpus umbrosum.

318. In specie *partialis umbra*, quæ est privatio *luminis interposito opaco* in medio perspicuo. Estque vel *æqualis*, & redditur figura cylindroides.

319. Vel est *inæqualis* umbra *major* καλαθοειδὴς quando corpus opacum luminoso majus : vel *minor* καυοειδὴς quando corpus opacum luminoso minus.

320. Totalis luminis privatio sunt *tenebræ*.

321. *Modus* autem videndi est visibilium formarum secundum pyramidem radiosa apprehensio.

322. Cujus partes sunt *angulus* in oculo existens, & *axis visionis* per oculorum diametrum & per omnia centra tunicarum transiens.

323. Pars optices *specialis* est quæ considerat Species visionis.

524. Et vel est *simplex*, l. *geminata*.

325. *Simplex* est quæ fit directè per solum incidentiæ radium : & fit per radium perpendicularem vel *distinctè* vel *confusè* quando visibile totum in instanti indistinctè cernitur.

326. *Geminata* est vel *Catoptrica*, quâ radius visivus à densi corporis penitrationem prohibentis superficie versus partem unde venit reverberatur.

327. In qua spectatur tum modus reflexionis, vel reflexivum ipsum. *Modus reflexionis* consistit partim in *anaclasi*, quæ est radiorum incurrentium in corpus solidum reverberatio.

328. Fitque reflexio in se vel *perpendiculariter*, vel *obliquè*. *Angulus* autem propterea est vel *incidentia* quem facit in superficie densi corporis ; vel est *reflexionis*, quem facit idem radius reflexus.

329. *Reflexivum* est corpus quodvis densum, potissimum autem *speculum*.

330. Illud vel est *naturale*, corpus naturâ leve. Vel *artificiale*, quod est vel *regulare* habens simplicem figuram : Estque vel *planum* vel *gibbosum*, quod vel *convexum*, quod habet superficiem extantem, vel est *concavum*, quod habet superficiem excavatam.

331. In

331. In *ſpecie* verò eſt ſpeculum *Sphæricum*, vel columnale, ſeu cylindricum vel *pyramidale*.

332. *Irregulare* ſpeculum eſt *parabolicum*, qvod uſurpatur in uſtoriis.

333. Vel eſt *Meſoptica*, qvando radius in aliud medium incidens frangitur per diaclaſin.

334. Et eſt vel *ſimplex*, qvæ fit absqve reflexione comitante, atqve ita res extra ſuum apparet locum, ut videre eſt in crepuſculis.

335. Vel *miſta* refractio qvæ comitem habet reflexionem, & potiſſimum in *Inde* obſervatur.

336. In qua notandi ſunt partim *colores*, quorum *primarii* puniceus, viridis & purpureus, *ſecundarii* ſunt varii, præcipuè verò eſt flavus.

337. Partim *ſpecies*, ſecundum quas iris eſt tum *terrea* in vitro atque cryſtallo; tum *aërea*, quæ fit ex diametrali oppoſitione corporis luminoſi.

ARCHITECTONICA.

338. Hucusque fuerunt ſpecies Matheſeos quarum *objectum* ex *tertiâ ſpecie* qualitatis: ſequitur ex *quartâ* & eſt *Architectonica*, quæ eſt ars ædificii extruendi.

339. Cujus pars alia *communis*, qvæ tractat de *principiis* & *affectionibus*.

340. *Principia* verò ſunt vel *externa* vel *interna*.

341. *Externa* ſunt *principalia*, nempè cauſa *efficiens* architectus, qvi ædificium delineat atqve ingeniosè & commodè extruendum procurat.

342. In qvo reqviritur ut ſit gnarus Phyſices, Geometriæ, Aſtronomiæ & Opticæ, etiam jurisprudentiæ, ne lites ex ædificatione oriantur. Ejus ſubſidiarius eſt ingeniarius & operarius.

343. *Inſtrumentalis cauſa* fit per delineationem, & illa vel eſt *totius*, ut eſt *Ichnographia* deſcriptio areæ, & futuri ædificii: vel *partium*, ut eſt *Orthographia* erectio frontis, & *Scenographia* laterum omniumqve linearum adumbratio.

344. *Interna principia* ſunt, tum *materia* ædificii conſtituendi, tum *partes* qvæ reſpiciendæ.

345. Ibi præſupponitur *fundamentum*, qvod vel ſterram habet *ſolidam*, ſi nimirum in ibi ſunt ſaxa & arbores, qvæ alias in ſiccis locis naſcuntur, qvia ubi herbæ, qvæ humidis naſci ſolent in locis, ibi ſolum eſt lutoſum.

346. Vel fit per *palationes* ex *arboribus*, qvæ æternitatem minantur, uti eſt qvercus & alnus, interdum etiam ex lapidibus.

347. *Partes* ædificii ſunt vel *laterales* & vel

vel *principales*, ut parietes, qvorum *ratione materiæ* alius est *craticius* alius est *cæmentitius*, ex rudibus cæmentis, alius lapideus.

348. *Ratione finis* alius est *intergerinus*, alius communis.

349. *Affectiones* parietum sunt tum *columnatio*, qva parietes columnis exornantur, & ædificia sustentantur.

350. Columnarum alia rudior est, ut est *Tuscana & Dorica*, qvæ firmior; alia est *elaboratior*: & vel *simplex* ut Jonica & Corinthiaca, qvæ omnium elegantissima, *composita* est Attica.

351. Tum *incrustatio* qvâ partes extrinsecus ornantur.

352. Et *apertiones*, qvibus in ædificiis patet transitus; & sunt vel *simpliciter necessariæ*, ut *ostia* qvæ non debent esse magis lata, qvam alta; & in eâ parte ædium, unde omnibus aditus patet, sunt ponenda.

353. Et *fenestræ*, per qvas lumen & aër admittitur: qvæ debent esse sublimes, qvæ septentrionem spectant, arctiores, qvæ Austrum respiciunt: modo non in angulis ponantur.

354. Vel *quodammodo necessariæ*, ut *fumaria*, qvæ debent esse pauca, & minus spacium occupare, probeqve sunt munienda.

355. Et *cloacæ*, qvæ in ea parte ædium locandæ, ubi valetudini non noceant. Id fit

ſi ventorum afflatui & expulſui expoſitæ ſint.

356. Vel ſunt *ſuperiores* ut eſt *tectum*, ad qvod *lapis* fiſſilis & tegulæ; minus aptæ ſunt ſcandulæ.

357. *Cauſa interna* eſt *Forma*, & æſtimatur *in ſe*, & eſt *Eurythmia*, qvæ eſt commodus partium aſpectus.

358. Et *ſymmetriâ* conveniens conſenſus partium. *Comparate* eſt *decor*, emendatus operis aſpectus. Sic *Generalis* fuit *Architectonica*; ſeqvitur *ſpecialis*, qvæ agit de Speciebus ædificii.

359. Et vel eſt *ædificium univerſale*, *urbs*, qvæ univerſæ civitati præbet habitaculum.

360. Vel eſt *particulare*, & vel eſt *publicum*, qvod facit ad neceſſitatem.

361. Eſtqve tum *togatum* & vel *ſacrum*, eſtqve *Templum* qvod in loco editiori tranqvillo & medio, ut ab omnibus æqve freqventari poſſit, locari debet.

362. Et *Schola* domicilium Muſarum in locis à ſtrepitibus mechanicorum liberis.

363. Vel eſt ædificium *profanum*, & vel eſt *commune*, eſtqve tum *curia* & ærarium.

364. Vel eſt *proprium*, & vel *Magiſtratus*, ut eſt aula.

365. Vel *ſubditorum* & eſt tum *domus commercialis*.

366. Tum

366. Tum *Hoſpitalia*, ubi ſunt ptochotrophéa Noſocomia.

367. Tum *Sagatum*: huc ædificia bellica teferenda, ut caſtellum & armamentarium.

368. Ad *jucunditatem* facientia ædificia ſunt tum *Bibliotheca*, qvæ ſpectare debent ortum potius, qvam meridiem, vel occidentem. Tum *Balnea* qvæ ſpectant meridiem & occaſum.

CAP. IV.

De

Phyſica.

369. SIc fuit *Mathematica*, ſequitur *Phyſica*, qvæ eſt ſcientia corporis naturalis, qvatenus naturale.

370. Eſtqve vel *generalis*, qvæ *principia* & *cauſas* corporis naturalis & affectiones conſiderat.

371. *Principia* verò ſunt, qvæ nec ab illis, nec ex aliis naſcurtur, ſed ex qvibus omnia oriuntur.

372. Et vel *ſeparatim* conſiderantur, & ſunt tum *conſtitutiones principium*, *materia* qvæ eſt primum ſubjectum, ex qvo omnia per ſe, & non per accidens generantur, & in qvam ultimò reſolvuntur, omnia.

373. Tum est *forma*, cujusqve rei essentia.

374. *Generationis principium* est *privatio*, absentia formæ in subjecto apto nato ad eam recipiendam.

375. *Conjunctim* sunt in *naturâ*, qvæ est principium & causa motus & qvietis, in qvo est primo & per se.

376. *Causa* verò est ad qvam effectus sequitur.

377. Et est alia *per se*, *externa*, ut *efficiens* à qva res est.

378. Et *finis* causa propter qvam res est.

379. *Interna* est *materia*, ex qva res est.

380. *Forma* per qvam res est.

381. Per *accidens* causa est tum *fortuna*, qvæ est in iis, qvæ certo consilio suscipiuntur alicujus finis gratia. Tum *casus* causa per accidens, ubi nullum consilium. Unde etiam *monstra* fiunt.

382. *Affectiones communes absolutè* sunt internæ, ut motus, qvi est actus entis in potentia qvatenus in potentiâ. Habetqve tum *terminum à quo* ubi incipit tum, *terminum ad qvem*, ubi desinit.

383. Ejus *oppositum privativè* est qvies, qvæ est cessatio motus.

384. Et *negativè infinitum*, qvod actu non est, qvia principia non infinita, & qvia infinitum est cujus partes ejusdem qvantitatis si accipiantur, semper aliqvid extra sumi potest.

Nunc

Nunc verò est præsens seu copula temporis. Potentiâ verò datur infinitum.

385. *Affectiones externæ* sunt tum *locus*, qvia est superficies corporis continentis, primò immobilis & per se.

386. Cui opponitur *Vacuum*, qvod non datur in rerum naturâ, qvia nullus locus privatus est corpore.

387. Tum est *tempus*, qvod est numerus motus secundum prius & posterius, estqve *continuum*, unde dicitur vel *præteritum*, qvod fuit, vel *futuum*, qvod erit.

588. Sic *absolute* de affectionibus; sequitur *comparatè* quoad *formam* tum quoad *divisibilitatem*. In omni motu quinque sunt necessaria, movens, mobile, tempus, terminus à quo, terminus ad quem. Et motus dicitur unus vel genere vel specie, vel numero.

389. Quoad *magnitudinem*: nullum continuum ex individuis est compositum: mobile finitum non potest transire spatium infinitum, neq; ullus motus potest esse ratione extremorum infinitus.

390. Quoad *causam efficientem* respectu *perpetuitatis*. In omni motu motor aliquis requiritur & ad immobile est deveniendum.

391. Respectu *durationis*: motus non est genitus, neque interiturus naturaliter, motus-

tusque est localis, & primus quidem circularis.

392. Fuit *generalis Physica*, sequitur *specialis*, quæ est scientia corporis naturalis in specie.

393. Agit autem de *corpore naturali* vel *separatim*, vel *conjunctim*. *Separatim* corpus, vel est *Simplex* vel *Compositum*. *Simplex* est vel *æthereum* & habet partes homogeneas. De eo agit *Uranologia*, quæ est scientia corporis cœlestis quatenus cœleste.

394. Est autem *cælum* corpus æthereum, simplicissimum, *pellucidum*, *sphæricum* & mobile circulariter: propterea ingenerabile, extra quod non datur corpus naturale, quodque agit in inferiora, lumine, influxu, & radiis.

395. *Stellæ* sunt densiores partes sui orbis mobiles circulariter.

396. Et vel sunt *fixæ* vel *erraticæ*. *Fixæ* l. sunt in *Zodiaco* secundum versum:

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.
Libraque Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora Pisces.

397. Vel *extra Zodiacum* tum *versus septentrionem* & numerantur 21. asteriſmi.

Ad Boream ceteres ter septem sidera ponunt.

398. Vel

398. Vel ſunt *Verſus meridiem* quindecim ſecundum verſum.

Sidera terquinque vulgo numerantur ad Auſtrum.

399. Vel ſunt *erratica* ſeu planetæ ſeptem ſecundum verſum:

Poſt SIM SVM ſequitur, pallida LVNA ſubeſt.

STICHIOLOGIA.

400. Vel eſt *STICHIOLOGIA* quæ eſt ſcientia corporis Elementaris. Eſt autem Elementum corpus ſimplex homogeneum, ex quo cætera generantur & in quod reſolvuntur.

401. Eſtque aliud *ſuperius* ſeu ſurſum tendens.

402. Tum *ignis* elementum calidiſſimum & leviſſimum.

403. Tum aër elementum calidum & humidiſſimum contra *tres regiones* numarantur, *ſuprema* perpetuo calida, propter ignem vicinum; *media* frigida propter vapores & ἀνωθήσαοιν; *infima* pro ratione tempeſtatis variatur.

404. Vel eſt *inferius* ſeu deorſum tendens.

405. Et eſt tum *aqua* elementum grave, humidum & frigidiſſimum.

406. Tum *terra* elementum graviſſimum & ſicciſſimum.

407. His

407. His accidunt *Qualitates*, quarum aliæ *primæ*, & vel *activæ*; ut sunt caliditas, qualitas activa, congregans homogenea & segregans heterogenea.

408. Et *frigus*, qualitas activa congregans homogenea & heterogenea.

409. Vel sunt *passivæ*, & est *humiditas* qualitas passiva difficulter proprio facile alieno termino contenta.

410. Et *siccitas* qualitas passiva termino proprio facile, alieno difficilè contenta.

411. Aliæ sunt *secundæ qualitates* ortæ partim *à qualitatibus activis*, nempe à calore, & est *Raritas*, Qualitas secunda per quam partes corporis non sunt bene compactæ.

412. Et *Levitas* qvalitas secunda per qvam corpus facile sursum fertur.

413. Vel à *frigore* & est tum *Densitas* qvalitas secunda per qvam partes corporis cohærent.

414. Et *Gravitas* per qvam corpus facilè deorsum fertur.

415. Vel sunt *ortæ à passivis*, ut ab *humiditate* & est tum *Mollities* qvalitas secunda, qva partes corporis facilè tactui cedunt.

416. Et *Lævitas* per qvam partes corporis sunt æqvales, tactumqve non offendentes.

417. Ab *siccitate* est *durities* per qvam partes corporis difficulter tactui cedunt.

418. Et

418. Et *friabilitas* per qvam corpus in minutis partes facile dissolvatur.

419. Ex *elementis* oritur *mixtio*, qvæ est alteratorum miscibilium unio: cujus *affectio* in *genere* sunt *contactus* duorum corporum conjunctio.

420. In *specie* circa substantiam est *generatio*, mutatio totius, non remanente sensibili qvadam identitate in subjecto eodem; Tum ejus contrarium est *corruptio*, mutatio ab esse ad non esse.

421. Circa *Accidens* tum *absolutum* ut *qvantitatem*. Estqve *augmentatio* motus, qvum acqviritur major qvantitas; tum *diminutio* motus qvo acqviritur minor qvantitas.

422. Circa *qvalitatem* est *alteratio*, motus, qvo in eodem sensibili subjecto manente alia qvalitas acqvitur.

423. Circa *Respectivum*, accidens est *Latio*, motus qvo novum latus acqviritur.

424. Qvoad *species mixtionis* est corpus exindè qel *imperfectè*, vel *perfectè mixtum*.

METEOROLOGIA.

425. *Imperfecte mixtum* proponitur in METEOROLOGIA, qvæ est scientia corporis imperfectè mixti. Est autem *meteeron* corpus imperfectè mixtum, in qvo unum elementum superat, minus durabile. Cujus notanda est tum *materia*, & est vel *exhalatio* calida

calida & humida, & dicitur *Vapor*, vel calida & ſicca, & dicitur Fumus.

426. Tum *ſpecies Meteororum*, qvod alia meteora ſint *ignita*, qvæ vel *conjunctim* conſiderantur, qvatenus ſunt *hypoſtatica*, eſtqve vel *ſimplicius in ſuperiore regione conjunctum*: ut eſt *Trabs ardens* ſeu *fax* ſi in longum & latum fumus æqvè diſtenditur.

327. Et *bolis* ex fumo æqvaliter craſſo genita.

428. *Dijunctum Capræ ſaltantes* fumi disjuncti in longum magis qvam in latum porrecti.

429. Et *ſcintillæ volantes* fumi in multas partes minutasqve ſparſi.

430. In *inferiore*, & vel *media*, tum *ſtellæ cadentes*, fumi mediocriter compacti, ſupernè accenſi.

431. *Lanceæ ardens* ex fumo oblongo qvod jaculum præſentat.

432. Vel in *infima regione*, *ignis lambens* fumus rarus & ſubtilis per antipetiſtaſin accenſus.

43 . *Ignis fatuus* fumus craſſior & tenacior in pingvioribus locis per agitationem accenſus.

434. *Emphatica* (qvæ etiam *phasmata* dicuntur) ſunt *incerta* ut *colores* in aëre nubium, qvi à ſole repercuſſo formantur.

435. Et

435. Et *certa*, ut *Chasmata* aperientis cœli speciem exhibentia; & *hiatus* si materia densior fuerit & inæqualiter accendatur.

436. Vel *magis compositum* est *Cometa*. Est autem *Cometa* Meteoron ortum ex exhalatione siccâ viscosa & copiosa inflammata.

437. Est vel *crinitus*, rotundus constans ex omni parte simili, vel *barbatus*, oblongus & productior.

438. Tum *Galaxia* exhalatio multa in qua refringitur lumen astrorum.

439. Alia sunt *aquea*, quæ sunt l. *fluxibilia*, l. *stabilia*. *Fluxibilia* sunt vel *liquida*, l. *concreta*.

440. *Liquida*, sunt l. *simpliciora* & est tum *nubes* vapor humidus crassus à frigore in media regione aëris congelatus; Tum *nebula* vapor densus in infimâ regione aëris frigore condensatus.

441. *Composita*, *pluvia* cum nubes à calore solis resolvitur & deorsum fertur.

442. Estque vel *naturalis pluvia*, ut *imber*, cum crebriores guttulæ defluunt, & *nimbus* cum guttæ grandiores cum impetu cadunt.

443. Vel *prodigiosa*, cum res aliæ, quam aquæ decidunt.

445. *Concreta* meteora aquea vel *adhærent superficiebus terreis*, ut *Ros* cum vapor ex terrâ exhalans in sublime fertur & à frigore condensatur.

445. Tum

445. Tum *pruina* cum vapor tenuis à sole evectus, antequam in aquam se convertat, congelatur.

446. Vel *formantur in aëre*, est tum *nix* meteoron aqueum cum nubes resolvitur & in decidendo â frigore ambiente tenuiter congelatur.

447. Tum *grando* meteoron aqueum cum per ἀνάπτεξιν nubes in aquam convertitur & in descensu à frigore congluciatur.

448. *Stabilia meteora* quodammodo sunt, *Fontes* quidam, qui *ex collectione* vaporum intra terræ cavernas concluforum, propter frigiditatem condensantur & scaturiunt.

449. *Mixta meteora* vel *infra*, & tum sunt *in mari*, quod est collectio aquarum, cui accidit tum *salsugo* ex sole partes tenuissimas & suavissimas extrahente maximam partem orta.

450. Tum *motus* maris, qui tum *violentus*, qui à ventis agitatur, tum *naturalis*, qui alias dicitur æstus maris & oritur potissimum â motu lunæ.

451. Tum sunt in *aëre* & vel *frequentiora*, sunt *venti*: est autem *ventus* exhalatio copiosa à frigore occurrente repulsa in obliquum.

452. Et

452. Et sunt *venti* vel *regulares* qui ex certa parte mundi spirant.

453. Et vel *indefiniti*, qui non spirant ad certum tempus; suntque vel *principales* à quatuor cardinibus mundi, secundum versum:

454. Asper ab axe ruit *Boreas*. ruit *Eurus* ab ortu. *Auster* amat medium solem, *Zephyrusque* cadentem.

455. Vel sunt *collaterales*, qui ad latera principalium junguntur, & sunt viginti octo, secundum Nautas.

456. Vel sunt *Stati*, qui certis temporibus spirant; ut sunt *Etesiæ*, venti aquilonares circa caniculæ ortum. Et *Ornithiæ* seu *chelidoniæ* venti occidentales verno tempore spirantes.

457. *Irregulares* seu erratici vel *sine igne* & *cum pluviis* ut est *exhydrias* ventus vehementissimus cum imbribus cuncta prosternens.

458. *Sine pluviis* ut *Ecnephias* ventus repentinus aërem obscurans, præcedens pluviam, maximarum tempestatum nuncius & navigantibus perniciosus.

459. Et *turbo* ventus in gyrum contortus.

460. *Cum igne* est *præster* ventus aërem inflammans & coloratum reddens.

461. Tum *rariora*: Et est tum *terræ motus*

ex

exhalatio calida & ſicca in terræ viſceribus inclusa exitum quærens & per impulſum ſpirituum terram concutiens.

462. Qvi fit vel *in ſuperficie* & tum *tremor*, agitatio terræ in latera; vel in *Viſcere pulſus*, qvo ex imo terra concutitur & ſurſum jactatur.

463. Vel ſupra eſt *fulmen* exhalatio calida & ſicca in nube denſa concepta & incluſa, exqve eà magno impetu excuſſa deorſum lata.

464. Cui accidit *tum tonitru* ſonus, qvem fulmen intra *nubem* per *ſiccam* exhalationem concluſam & ictu vehemente diſrumpentem efficit.

465. Tum *fulgur* ſeu coruſcatio ab exhalationibus accenſis & è nubibus erumpentibus exorta.

466. *Emphatica mixta Meteora* ſunt tum diverſarum figurarum, ut *Halo* circulus circa lunam, etiam circa ſolem interdum, ex refractione radiorum in nubibus effectus.

467. Tum *iris* arcus multicolor ex refractione radiorum ſolis repræſentatus.

468. Eandem figuram repræſentat tum *cœrtam*, tum *Parelius* imago ſolis à latere ejus in nube denſa per radiorum ejus refractionem. Tum *Paraſelene*, imago lunæ in nube levi & humida repræſentata.

469. Tum

469. Tum *incertum* *virgæ* seu columellæ lineæ rectæ apparentes ex refractione radiorum solis in nube inæqvabili coloratæ.

470. Hucusque de *corporibus imperfectè mixtis* seu Meteoris, sequitur de *corporibus perfectè mixtis*, in quibus quatuor elementa durabiliora sunt.

471. Est autem corpus perfectè mixtum, vel *animatum* vel *inanimatum*.

472. *Inanimatum* corpus est vitæ expers, & dici potest minerale.

473. De quo in *genere*, quoad *materiam* & *affectionem*.

474. *Materia* mineralium ex Aristotele statuitur vapor subterraneus cum fumo mixtus, seu aqueus halitus cum terreo confusus.

475. *Affectio* est tum *positiva Concoctio*, quæ est alteratio, qua beneficio calidi mistum perfectionem suam consequitur.

476. *Species* ejus est vel ab *interno* principio, ut *maturatio*, quæ est concoctio, qua beneficio calidi interni corpus mixtum perfectionem suam consequitur.

477. Vel à principio *externo*, est tum *elixatio*, concoctio mixti elixabilis facta virtute calidi humidi extrinsecus advenientis.

478. Tum *assatio*, concoctio mixti assabilis, quæ beneficio calidi sicci extrinsecus ambientis mixtum perficit.

479. Tum *privativa*, *aliqualiter*, & in *genere* est *incoctio*, qua mixtum imperfectè digeritur propter defectum caloris.

480. In *specie* maturationi opponitur *cruditas*, concoctio imperfecta ob defectum caloris interni.

481. Extra elixationi *semielixatio*, ex penuria calidi humidi externi; Assationi *adustio* & *semiassatio* ex defectu calidi sicci extrinsecus ambientis.

482. *Totaliter* est *putrefactio*, quæ est corruptio caloris naturalis.

483. In *Specie* est corpus *minerale* vel *ductile* vel non *ductile*.

METALLOGRAPHIA.

484. *Ductile* metallum, inde *METALLOGRAPHIA* scientia metallorum.

485. Est autem *metallum* corpus perfectè mixtum inanimatum ex viscoso cohærente humore in terræ complexu concretum.

486. Estque vel *simplex*, & vel *purum*, in quo facta est decoctio exquisita.

487. Et est tum *aurum*, metallum purissimum, ex humore rubeo & terra non adurente firmissimè contemperatis genitum.

488. Tum *argentum*, metallum purum ex vapore aqueo claro & terrestri fixo ortum.

489. Vel *impurum*, quod ex impuriore terra & humore minus decocto constat.

490. Estque vel *plus humoris* habens, ut

tum

tum *plumbum*, metallum mollius è plurimo crasso aqveo vapore & terreo pauciore procreatum : quod vel *nigrum* minus elaboratum, vel *album* plenius percoctum.

491. Tum *stannum* ex multo aqueo & terreo pauco putiore genitum.

492. Vel *plus terræ* habens ; estque tum *æs*, metallum ex terreno copiosiore crasso & educto natum.

493. Quod vel *imperfectum* ut *Cyprium* sive cuprum, vel *perfectius* ut *orichalcum*.

494. Tum est *ferrum*, metallum durum ex plurimo crudo terrestri & modico aqueo impuro ortum ; *ex quo arte* purgato & indurato fit *chalybs*.

495. Tum metallum *compositum* est *electrum* ex diversis conflatum.

496. *Corpus* non *ductile*, quod difficulter resolvi potest, est vel *durum*, vel *friabile*.

497. *Durum* est lapis, inde *LITHOLOGIA* scientia lapidum.

498. Est autem *lapis* corpus perfectè mixtum inanimatum ex sicca terrestri exhalatione, vi primorum qualitatum conglutinatum.

499. Estque tum *Vulgaris* ex crassiore & impuriore materia congelatus.

500. Et vel *porosus*, qui partes habet raras, ut tum *Tophus*, lapis rarior facile frangibilis, superficiei asperæ.

501. Tum *pumex*, lapis rarus cavernosus ad levigandum accommodatus.

502. Vel *solidus*, qui partes constrictas habet.

503. Estque vel *nitens*. ut est *Marmor lapis* solidus, nitidus variis coloribus notus. Hujus species sunt, *usitatior*, *Alabastrites*, marmor perspicuum, candidi coloris maculosi lævissimum.

504. Et *Ophites*, marmor maculis serpentum simile. *Rarior* species est *Porphyrites*, marmor rubens & candidis maculis distinctum.

505. Vel est *carens nitore*, & vel *communior*, tum *saxum* lapis durior, ex magnâ quantitate materiæ fortiter concretæ constans.

506. Tum *silex*, lapis durior minor, ex quo ferramenti incussu ignis excuti potest.

507. Vel *peculiarior*, ad *scissionem* & est tum *Cos*, lapis durior æqualis ferro acuendo aptus; contra species est *Lapis Lydius* quo metalla, potissimum aurum, probantur.

508. Tum *Smiris*, lapis solidus, vitro findendo aptus.

509. Ad *ignitionem*, & est *pyrites*, lapis chalybe percussus scintillas eliciens.

510. Vel est lapis *pretiosus*, qui dicitur *Gemma*, lapis ex subtiliore materia singulari elegantia speciosus & viribus insignis.

511. Est

511. Est autem gemma alia *nobilior*, alia *ignobilior*.

512. *Nobilior* est vel perspicua, & vel *pellucidior*, ut ADAMAS, gemma translucida inenarrabilis duritiei, colore similis ferro candenti, ad summum magnitudine nucis avellanæ. Ejus virtus est resistere Melancholiæ hebetare vim magnetis, & contra venena & incantamenta prodesse.

513. Vel *obscurior*, & vel *certam* speciem referens, ut tum *Sardonyx*, gemma transparens, ungvis humani colorem referens. Ejus virtus est, *vires corporis roborare*, lasciviam cohibere, ungues ulcerosos sanare.

514. Tum *Selenites* gemma candida translucens, Lunæ imaginem reddens. Virtus ejus est, refrigerare, & ad Lunæ motum variari.

515. Vel *nin referens* certam *speciem*, ut tum *Smaragdus* gemma pellucida, viridi colore, caloris impatiens, maximeque fragilis. Ejus virtus est resistere venenis, sedare affectus animi & potissimum voluptati obstare, adversari vertigini, epilepsiæ, dysenteriæ, & memoriam conservare.

516. Tum *Sapphirus*, gemma pellucida, cœrulei coloris, duritiei insignis. Ejus virtus est, resistere Melancholiæ, curare Anthracem, conservare corpus & castitatem.

517. Vel *est non perspicua*, & vel *colorata* tantùm, vel *colorata & lucens*,

518. *Colorata tantùm* vel est *unicolor* & vel *vulgarior*, ut tum *Asbestus*, gemma coloris ferrei post unam accensionem irrestingvibilis.

519. Tum *Ætites*, lapis punicei coloris cortice duro & scabro, qui in aquilæ nido reperitur. Ejus virtus est promovere & accelerare partum, si femori prægnantis alligatus, impedire, si brachio.

520. Vel *peculiariter* ut *Galactites*, gemma coloris cinericei lacteum humorem resudans: Quo etiam refertur *Melites* dulcissimum succum emittens. Ejus virtus est partum juvare si femori prægnantis alligetur, lac augere, si collo appendatur.

521. Vel est *Varicolor* & vel *magis* tum *Jaspis* gemma varii coloris potissimum viridis maculis sangvineis interpuncta. Ejus virtus est cor exhilarare, sangvinis fluorem cohibere, partum juvare, & gestantem castum reddere.

522. Tum *Achates*, gemma varietate coloris præstantissima, ad cereum tamen potissimum tendens. Virtus ejus est varia & mirifica, imprimis venenis pestiferis scorpionum & viperarum ictibus adversari.

523. Vel *minus*, tum *Chrysoprasus* gemma co-

colorem auri à viridi tenuiter dilutum referens : Ejus virtus est melancholicæ resistere.

524. Tum *Turcois*, gemma coloris cœrulei ex viridi relucentis. Ejus virtus est visum & cor juvare, & præservare à lapsu.

525. *Colorata & lucens* simul est vel *fulgens* & vel *rarior*, ut *Carbunculus* seu *Pyropus* gemma lucidissimi ignis flammam repræsentans. Ejus virtus est venenis resistere, confirmare spiritum vitalem, melancholiam & libidinem coërcere.

526. *Huic subjiciuntur : Lychnites* seu *Rubinus*; per tenebras in speciem scintillæ micans : *Granatus* similis granis mali Punici : *Chrysolithus*, coloris aurei : *Calchedonius* stellæ instar refulgens & *Sardius* colore rubens.

527. Vel *ustatior* ut tum *Amethystus* gemma lucida colorem violæ purpureæ referens. Ejus virtus vapores ad caput ascendentes retrahere, vigilantiam comparare, acuere ingenium & veneno resistere.

328. Tum *Asterites* gemma fulgens, quæ dum convertitur luminare intus lucens ostendit.

529. Vel *scintillans*, tum *Topazius* gemma coloris aurei soli exposita radians. Ejus virtus est cor confortare & mira præsentare.

530. Tum *Hyacinthus* gemma lucida coloris flavi. Ejus virtus est cor & spiritum vitalem corroborare, conciliare somnum & præservare à peste.

531. *Gemmæ ignobiliores* sunt vel ex *Elementis*, & quidem ex aqua, tum *Crystallus* gemma pellucidissima sub terra generatus ex materia aqvea lapidescente. Virtus ejus est refrigerare & astringere, vertigini adversari, sitim restingere, si sub lingua ponatur.

532. Tum *corallium*, gemma rubeo colore fruticis lapidescentis figuram repræsentans; estque in triplici potissimum differentia, *album*, *rubrum* & *nigrum*.

533. Ejus virtus est, astringere, exsiccare & refrigerare, contra morbos pestilentes prodesse.

534. Ex *terra*, ut *Hæmatites* lapis ferrugînei coloris internè, externè sangnineî. Virtus ejus sangvinem sistere.

535. Et *magnes*, gemma colore ad cœruleum vergente, ferrum attrahens. Ejus virtus præterea est, ferrum ad polum dirigere, purgare humores crassos.

536. Vel ex *animalibus*, & vel ex *Viventibus* supra *terram*, gressilibus, ut *Bufonites* seu *Borax*, in capite Bufonis senis nascens, cujus unum genus *subalbidum*, alterum *nigrum*. Ejus virtus est araneis, vespis, gliribus resistere.

537.

537. Tum *Saurites*, qui in ventre lacerti invenitur.

538. Ex *Volatilibus* & vel *usitatior* tum *Alectorius* lapis Cryſtallo obſcurior inventriculo capi anno ætatis nono vel quinto naſcens magnitudine fabæ. Ejus virtus eſt, geſtantem reddere gratioſum, conſtantem, ſitim reſtringere.

539 Tum *Chelidonius* lapis exiguus coloris fuſci in pullorum hirundinum ventriculo naſcens. Ejus virtus eſt, mederi maniacis, lunaticis, epilepticis.

540. *Vel rarior*, tum *Quadrus* lapis in cerebro vulturis. Tum *Quirus* in nido upupæ inventus.

541. Vel *Viventibus* in *aquis* ſeu piſcibus, & vel *mollioribus*, ut *gemmæ* percarum.

542. Et *lapis carpionis*, qui ebullitioni præcipuæ flavæ bilis adverſatur.

543 Vel *durioribus*, *magis* pretioſus, ut *Margarita* lapis è conchyliis marinis natus. Ejus virtus eſt cor & ſpiritus vitales corroborare, animumque exhilarare.

544. *Minus pretioſus*, ut *lapides cancrorum*, quorum virtus, prodeſſe contra calculum, & nephriticis.

545. Sic ſuit *corpus durum*, ſequitur *friabile*, eſtque iterum vel *liquabile*, ut *ſuccus metallaris*, corpus minerale, ex materia humida & craſſa terreſtri generatum.

546. Estque vel *calidum* & vel *simplicius* tum *sulphur*, corpus friabile & liquabile unctuosum tenue. Et est l. *Gibum*, l. *fusum*.

547. *Tum Sal*, corpus friabile ex succo humido aqueo & crasso terrestri genitum.

548. Estque vel *nativus* vel *vulgarior*, ut tum *Ammoniacus*, Sal fossilis sub arena calidissima æstu solis genitus.

549. Tum *Sal gemma* candidissimæ instar crystalli resplendens è montibus effossus.

550. Vel *peculiarior* ut tum *Sal Indicus*, quatenus nigricans ex monte Oremento in India erutus.

551. Tum *Salpetra* seu *nitrum* ex coagulato humore in locis subterraneis instar stiriæ salsæ depeudens.

Vel est *sal factitius* ex salsugine coctus.

552. Vel *magis compositum*, ut succus salitus cognatus: qui vel *siccior*, ut tum *Alumen* succus concretus salsus ex materia humida & crassa terra genitus.

553. Estque vel *candidum*, quod optimum, iterumque vel *liquidum*, molle & pingve, vel *spissum* scissile.

554. Vel est *nigrum* in Cypro inventum, quo purgatur aurum.

555. Tum *Calchantum* seu *Vitriolum*, succus concretus perspicuitatem vitream obtinens. Estque vel *nativum* vel *factitium*.

556. Vel

556. Vel est succus *humidior* ut *Bitumen*, succus terræ pingvior pici similis.

557. Et est vel *durum* tum *Asphaltus*, bitumen inspissatum nigricans.

558. Tum *Pissasphaltus* bitumen concretum picem bitumini mixtam redolens.

559. Vel *liquidum*, & est tum *Naphta*, bitumen liquidum olei lentore & crassitie, facile inflammabile.

560. Tum *Petroleum* ex petris profluens ejusdem naturæ. Quo refertur & *Ambra Arabica* bitumen fragrantissimum.

561. Vel est *frigidum* & vel *generale*, ut *Argentum vivum*, succus concretus coloris argentei, genitus ex humore glutinoso cum albo & subtili terra permixto.

562. Vel *speciale*, & est tum *Antimonium*, succus concretus coloris plumbei.

563. Tum *Cerussa*, succus concretus candidus ex plumbo acri aceto resoluto genitus.

564. Vel est *corpus* non *liquabile*, & dicitur *terra metallaris*, quæ ex locis maxime mineralibus effoditur.

565. Estque vel *medicamentosa* & vel ex *insulis* ut tum *Terra Lemnia* valde rubens in insula Lemno effossa.

566. Tum *terra Samia* glutinosa ex Samo insula asportata.

567. Vel ex *provinciis remotioribus*, & est *terra Armena* subrubens in Armenia offossa.

568. *Propinquioribus* ut est tum *terra Silesiaca*, tum *Hassiaca*, quæ non deterior cæteris.

569. Vel est *non medicamentosa* & adhibetur vel ad *colorem* & vel *simplicem* ut creta, terra albi coloris in Insula Creta fossilis.

570. Vel ad *compositum*, estque vel *rufi coloris*, & vel *nobilius*, ut tum *Auripigmentum* seu *Arsenicum*, terra metallaris auri splendore insignis. Estque vel *nativum* vel *factitium*.

571. Tum *Cinnabaris* terra rubri coloris in fodinis metallicis plerumque cum Arsenico nascens.

572. Vel *ignobilius* ut *Sandaracha*, terra rufa cinnabaris colore.

573. Vel coloris *lutei* ut *Ochra*, terra levissima lutea, ex qua exusta fit *Rubrica*.

574. Vel adhibetur *ad alios usus*, ut tum *Ampelitis*, terra bituminosa, atra, assulosa.

575. Tum *Argilla* terra pinguis & lenta. Quo etiam refertur Calx terra ficciore lapide cocta, & Gypsum terra candida tenax levis.

576. Hucusque de corporibus *inanimatis*, sequitur de *animatis*.

577. Et est *corpus animatum* perfectè mixtum vitale.

578. Est-

578. Estque vel *insensile*, corpus sensus expers vegetante anima præditum, dituturque *Planta*, Unde est.

PHYTOGRAPHIA.

579. *PHYTOGRAPHIA*, scientia corporis vegetabilis. Cujus (corporis) in *genere* notandæ sunt *partes*, ut est tum *radix* in terram depressa.

580. Tum *truncus*, cujus partes *interiores similares*. Sunt vel *sicca*, ut *venæ*, vel *liquidæ*, ut *succi*.

581. *Dissimilares* partes sunt *rami* & *surculi*.

582. *Exterior* pars est *cortex*.

DENDROGRAPHIA.

583. In specie est vel *Stirps* unde oritur *DENDROGRAPHIA* scientia stirpium.

584. Est autem *stirps* planta firmior & durabilior.

585. Estque vel *perfectior*, vel *imperfectior*.

586. *Perfectior* est vel *arbor*, vel *frutex*.

587. *Arbor* est stirps major lignea è radice per caudicem ramosa cum trunco perenni.

588. Et est vel *peregrina*, nascens in terris calidioribus & vel *aromatica* ut tum *Macer*, tum *arbor Piperis*, in India nascentes.

589. Vel *non aromatica* & vel *fructifera* & est tum *Malus punica* & *Citrina*.

590. Tum *palma* arbor in Arabia & Ægypto frequens.

591. Vel *infructifera*, & vel *alta* ut tum *Thus*, in Arabia, tum *Cedrus* in Cypro nascens.

592. Vel *parva*, ut *Myrrha* & *Balsamum*.

593. Vel est *communis* in *quibuslibet* terris nascens.

594. Et vel est *fructifera*, habetque vel *tegumentum molle*, ut sunt tum *pomiferæ* arbores, *Malus Pyrus*, *prunus*, *Cerasus*, *Ficus*, *Olea*,

595. Tum *baccifera*, ut *Laurus*, *Juniperus*, *Morus*.

596. Vel habent *tegumentum durum* dum fructus tegitur vel *totus*, & est tegumentum vel *ligneum* ut *Amygdalus*, *Juglans*.

597. Vel *echinatum*, ut *Castanea*, *Fagus*.

598. Vel legitur *ex parte*, *Quercus*, *Ilex*, *Silex*, Robur.

Vel est *sterilis* ut *Ulmus*, *Alnus*, *Buxus*, *Abies*, *Tilia*, *Betula*, *Salix*, *Populus*.

599. *Frutex* verò est stirps minor caudice multiplice ac humiliore à radice assurgens.

600. Estque vel *nobilior* ut *Cinnamomum*, *Arundo*, *Sacharina*, *Zingiber*, *Vitis*.

601. Vel *ignobilior*, fertque vel *nuces*, ut *Corylus*.

602. Vel *baccas*, *minores*, ut *Sambucus*, *Berberis*, *Ribes*, *Myrtillus*, *Uva crispa*.

603. Vel *majores* ut tum *Rubus* frutex spi-

ſpinoſus. Habetque vel *ſpinas ſubtiliores*, ut rubus *vulgaris* & rubus *Idaus*.

604. Vel *acutiores*, ut rubus *caninus* ſeu *cynosbatus*: Tum *roſa*, quæ partim *ſylveſtris* ſimplici flore conſtans.

605. Partim *hortenſis* flore multiplici, eſtque vel *ſimplex*, alba & rubra, vel *multiplex*, incarnata ſeu provincialis.

606. *Imperfectior ſtirps* eſt, quæ radicem & caudicem evidentem non habet, ut ſunt *tubera*, *fungi*, *boleti*, *muſcus*.

BOTANOLOGIA.

607. Vel eſt *Herba*, unde *BOTANOLOGIA* ſcientia herbarum.

608. Eſt autem *herba* planta imbecillior, cujus pars ſuperior è caule tenuiore naſcitur.

609. Eſtque vel *alimentaria*, cujus uſus potiſſimum in alimentis.

610. Et vel præbet cibum *beſtiis*, ut *Gramen*, ejusque ſpecies.

611. Vel præbet *hominibus*, & eſt vel *frumentacea*, & vel *propriè*, ut *Triticum*, *Hordeum*, *Siligo*, *Avena*.

612. Vel eſt *legumen* frumento *ſimile* ut *Milium*, *Oryza*, *Lens*, *Piſum*, *Panicum Phegopyron*, *Taba*.

613. Vel *oleracea*, quæ facit vel ad *ipſum cibum* & quidem quoad partes vel *ſuperiores*

tum

tum *folia*, ut *Brassica*, *Crambe*, *Asparagus*, *Lactuca*, *Nasturtium*.

614. Tum *Fructus*, ut *Cucumis*, *Pepo*, *Cucurbita*, *fragum*.

615. Vel *quoad inferiores* partes seu *radicem*, ut Rapa, Siser, Napus, Raphanus, Allium, Cepa.

616. Vel faciunt ad *condiendum cibum*, ut Petroselinum, Sinapis, Pastinaca.

617. *Minus alimentaria* herba est vel *salubris* & vel coronaria, quæ propter odorem suaviorem maximè adhibetur.

618. Et vel *in genere*, *quoad totum*, ut Majorana, Rosmarinus, Lavendula, Hyssopus, Pulegium, Salvia.

619. *Quoad flores*, ut Viola, Bellis, Lychnis, Amaranthus, Iris, Rosa.

620. In *specie* vel *flores ex bulbo*, ut Lilium, Asphodelus, Crocus, Narcissus, Hyacinthus, Tulipa.

621. Vel *flores* sunt *Campestres* ut Lilium convallium, Cyanus, Consolida regalis, Campanula.

622. Vel est *medicamentosa*. Et vel *sativa*, ut Melissa, Caryophyllata, Althæa.

623. Vel est *Natiua* & est vel *efficax minus*, quæ iterum distinguuntur *ratione loci*, tum *naturalis* quoad *terram* in *genere*: alia est campestris, Heliotropium, Hypericum, An-

Angelica, Betonica, Euphrasia, Geranium.

624. Quo etiam referendi sunt cardui, Acanthus, Carduus benedictus, Eryngium.

625. Tum *sylvestris*: Fragaria, Filix, Pulmonaria, Amaradulcis. &c.

626. In *specie* vel est *Saxatilis* ut Absinthium, Lichen, Phyllitis. &c.

627. Vel est *Pratensis*: Scabiosa, Barba hirci.

628. Quoad *aquam* dicitur palustris & aquatica Xanthium, Nymphæa, Tribulus aquaticus.

629. Quoad *artificialia loca* & est *l. muralis*, Adiantum, Ruta muraria, Sedum.

630. Vel *dividuntur ratione formæ* & sunt tum *convolvula*, Asclepias, Hedera, Lupulus, Smilax &c.

621. Vel est *foliata*, ut Trifolium, Melilotus, Cytisus, Fœnum Græcum.

632. *Herba medicamentosa magis efficax* est vel *alterans* & *digerens*: vel *evacuans* & *purgans*, de quibus videndi Botanici, ut Asarum, Calocynthis, Sena, Esula major, Veratrum. &c.

633. Vel est *perniciosa*, ut Anemone, Cicuta, Hyoscyamus, Napellus, Pes anserinus, Aconitum.

ZOO-

ZOOGRAPHIA.

634. Hucusque de *Vegetabilibus*, sequitur *de sensibilibus corporibus* & dicitur *animal*, unde *ZOOGRAPHIA*, scientia animalium.

635. Est autem *animal* corpus animatum sentiens.

636. Et est vel *irrationale* diciturque Bestia, animal irrationale. Unde ejus doctrina.

THERIOGRAPHIA.

637. *THERIOGRAPHIA*, scientia bestiarum.

638. Estque *bestia* vel *sensus manifesti*, & vel *perfectius animal*, quod corpus integrum habet cæsurâ carens.

639. Et est vel *Heterobion* in alterutro elemento vivens, nempe vel in *aqua* ut sunt Pisces.

ICHTHIOGRAPHIA.

640. Inde *ICHTHIOGRAPHIA* scientia piscium.

641. Est autem *piscis* animal aquatile.

642. Estque vel *fluviatilis* & vel *mollior* iterumque vel *squamosus*, qui vel *grandior* ut Salmo, Acipenser, Silurus.

643. Vel *mediocrior* & vel *communior* ut Leuciscus, Cobitis, Dacolithus &c.

644. Vel *rarior* ut Cyprinus, Lucius, Barbio, perca. Vel est *cute tectus*, ut Muræna,

An-

Angvilla, Muſtela fluviatilis, Tinca, Trutta.

645. Vel *durior* & quidem cruſtaceus, ut Cancer, Aſtacus.

646. Vel *teſtaceus* ut Oſtrea, Purpura.

647. Vel eſt *marinus piſcis*, ut Delphin, Balæna.

648. Vel *vivit in aëre* & quidem vel in *terræ ſuperficie*, unde ſunt *Greſſilia* ſeu *Quadrupedia*.

649. Et ſunt illa ipſa animalia vel *ovipara* quæ ova pariunt, ex quibus poſtmodum animal vivum naſcitur, ut eſt Lacerta, Crocodilus, Salamandra, Chameleon & Serpentes.

650. Vel ſunt *vivipara*, quæ vivum animal ex ſe pariunt.

651. Et vel *habent pedes ſectos* & vel *biſulcos*, quorum *pleraque* ſunt *cornuta* ut Bos, Cervus.

652. Et vel *habent pedes ſolidos*, *carentia cornibus* ut Camelus, Eqvus, Aſinus

653. Vel habent *multifidos*, ut Leo, Urſus, Lupus, Canis. &c.

654. Vel *altius ſupra terram*, ut ſunt *Aves*, inde eſt *ORNITHOLOGIA* ſcientia avium.

655. Et autem *Avis* animal volatile bipes oviparum.

656. Eſtque pedibus vel *planis*, ut *aquatica* An-

Anſer, Anas, Cygnus, Fulica, &c. quarum aliæ *cicures*, aliæ *feræ*.

657. Vel *pedibus multifidis* itidemque vel *domeſtica* ut Gallus, Gallina, Pavo, columba.

658. Vel *fera*, & vel *utilis*, facieus *ad jucunditatem* ut ſuut oſcines, alauda, Philomela, Troglodytes, Linaria, Fringilla, Carduelis. &c.

659. Vel *ad alimentum* & eſt vel *amans terræ*, ut Turdus, Tetrax, Livia, Perdix. &c.

660. Vel *amans aquæ*, ut Ardea, Tarda. &c.

661. Vel eſt *minus utilis avis* & vel *diurna* eaque vel *rapax*, ut Corvus, Vultur, Falco.

662. Vel *non rapax*, ut Picus, Pica, Ciconia, Cnipologus, Upupa, Cuculus, paſſer. &c.

663. Vel eſt *nocturna*, ut Veſpertilio. Nycticorax, Ulula, Noctua, Bubo.

664. Sic fuerunt *heterobia* animalia, ſequuntur *Amphibia*, quæ in utroque Elemento *aëre* & *aquâ* vivunt.

665. Et vel *pedata* ut Caſtor, Rana, Hippopotamus, Phora.

666. Vel non *pedata*, ut Natrix, Hirudo.

667. *Imperfectiora animalia* ſunt *inſecta*, quæ integrum corpus non habent, ſed certâ quâdam cæſura ſunt diviſa.

668. Sunt

668. Suntque vel *perimata*, ut Culex, Muſca, Lampyris, Papilio, Cantharis, Veſpa, Scarabeus, Apis, Cicada.

669. Vel ſunt *pennis carentia*, ut Aranea, Formica, Pediculus, Pulex, Tinea, Blatta, Eruca, Coſſis, Cimex, Ricinus, Curculio.

670. Sic animalia *ſenſus manifeſti*, ſequuntur *ſenſus obſcuri* & dicuntur *Zoophyta*, *Plantanimalia*, quorum natura & plantis & animalibus cognata eſt, tantumque videntur tactu prædita. Suntque *aquatilia*, ut Urtica marina, Spongia.

671. Vel ſunt *terreſtria*, ut arbor Indica ſeu *pudica*, quæ animali appropinquante ramos conſtringit, recedente pandit.

672. Hucusque Species animalium *irrationalium*, ſequitur animal *Rationale*, & dicitur *homo*, unde eſt.

ANTHROPOLOGIA.

673. *ANTROPOLOGIA* ſcientia hominis, ſeu de homine. Eſt autem *animal* rationale.

674. Et dividitur *Anthropologia* in *Somatologiam*, quæ eſt ſcientia corporis humani: ex qua ſcientia etiam analogicè cæterorum animantium corpora diſcernuntur & cognoſcuntur.

675. Siquidem pars corporis humani in ge-

genere alia est *similaris*, quæ & nomen & naturam totius retinet, & est *vel sanguinea pars*, ut est *Caro*, quæ est pars sanguinea humida & musculosa.

676. Vel est *spermatica*, quæ ex semine proximè generatur.

677. Estque vel *stabilimentum*, ut est tum *fulcrum*, quo partes sustentantur, ut sunt ossa, partes similares substantiæ terreæ.

678. Tum *cartilago* singulas partes sustinens.

679. Vel est *vinculum*, quo partes conjunguntur, ut tendines & fibræ.

680. Vel est, *tegumentum*, quo teguntur partes & est tum *cutis*, tum *membrana*.

Alia pars est *dissimilaris*, quæ ex partibus similaribus ritè coëuntibus est composita.

682. Estque 1. *Venter*, 1. *artus*.

683. Et quidem *Venter* alius est *separatior*, qui est supremus, diciturque alias *Caput*: secundum Medicorum, quos potissimum hic sequi tenemur, doctrinam verò *Venter*.

684. Est autem *caput* humanum pars dissimilaris collo superimposita animæ sensitivæ domicilium in summo.

685. Capitis verò partes aliæ sunt *capillaceæ*, & vel sunt *compositæ*, quarum vel *extrema*, & *superior* est *Sinciput*, quod est pars anterior à fronte usque ad futuram coronalem.

686. Tum

686. Tum *occiput*, pars *posterior* ab initio futuræ ad primam cervicis vertebram.

687. Vel est *collateralis*, ut *Tempora*, quæ partes faciei laterales inter oculos & aures.

688. *Media* pars est *Vertex* centrum calvariæ circum quod pili in gyrum vertuntur.

689. Tum sunt *partes simplices*, quæ vel *communes* & vel *tegentes*, ut est tum Cuticula, pellicula exlangvis vitæ sensusque expers è vaporibus oleosis à frigiditate externâ condensatis orta.

690. Tum est *Cutis*, integumentum corporis ut *sit tactus* instrumentum.

691. *Latentes partes* sunt tum *Membrana* carnosa pars dissimilaris & sicca.

692. Tum *Pinguedo* membranarum frigiditate concrescens ad totius corporis tutelam.

693. Partes *propriæ* sunt *Vestientes*, ut *Pili*, corpora ex fuliginosis vaporibus à calore moderato orta. Iique vel sunt *congeniti* quo regant & ornent capitis partes, tum *superiores*, ut Capilli.

694. Tum *inferiores* partes ut *supercilia*, pili in frontis fine super oculos.

695. Et *palbebræ*, quæ dicuntur cilia in tunicis nati pili ut radios visivos dirigant.

696. *Postgeniti* circa *caput* sunt in barba, quæ crescit, quando vir ad justam pervenit ætatem.

697. Sic

697. Sic de *partibus*, ſequitur de *partibus propriè conſtituentibus*, quæ vel *continentes*, & ſunt *Membranæ*, quæ vel *rèſpectivè* dicuncur *externæ*, nempe tum *Pericranium*, membrana craſſa cranium cingens, orta à dura matre per cranii ſuturas exeunte.

698. Tum *Periostium*, membrana tenuiſſima nervea. *Internæ* membranæ ſunt *Meninges*, membranæ inter cranium & cerebrum interjectæ.

699. Et harum alia eſt *craſſa* ſeu *dura mater*, cranium ubique cingens.

700. Alia *tenuis pia mater* dicta, membrana ſubſtrata meningi craſſæ.

701. Vel partes *contentæ* calvariæ ſunt in genere *Cerebrum* pars capitis frigida & humida in cranii cavitate à meningibus circumdata.

702. Et eſt ejus pars alia *anterior* ſpiritus animalis generationi inſerviens, ubi interna pars eſt *Medulla*.

703. Tum *Ventriculi* ſeu cavitates cerebri, & quidem *priores ſinus* dicuntur & ſunt oblongi.

704. *Poſteriores* ſunt *Eminentiæ* duæ, quæ corpus concameratum conſtituunt.

705. Sequitur demum *Cerebellum* animalem ſpiritum conſervans & per vinalem medullam ad corpus omne permittens.

706. Par.

706. Partes in *cerebro* ſunt tum *Proceſſus mammillares* in anteriore parte cerebri ad naſum prodeuntes.

707. Et *exortus*, ſeu *principium nervorum*, prodiens à cerebri medullâ. Et quidem inibi ſunt ſeptem paria nervorum ſecundum verſum:

708. Optica prima oculos movet, altera tertia guſta.
Qvartaque quinta audit, vaga ſexta ſeptima lingit.

Pars alia eſt *capillis carens* ſeu glabra, quæ uno nomine dicitur *facies*.

709. Cujus pars alia *anterior* & vel *ſuperior* continens tum *frontem*, quæ eſt pars faciei ab oculis usque ad partem capillatam ſe protendens.

710. Tum ſunt *Oculi* partes capitis mobiles conflatæ ex tunicis quinque & tribus humoribus.

711. Et ſunt in unoquoque oculi partes vel *externæ* ut *Palpebra* pars oculum tegens, quarum alia *inferior*, immobilis; alia *ſuperior* celerrimè ſe movens.

712. Tum *Caruncula*, externam oculi humiditatem continens.

713. *Internæ* partes ſunt tum *ſolidæ*, ut ſex *Muſculi* oculorum humanorum.

714. Tum *Tunicæ* & quidem vel *diſtincti*

nomiuis ut *cornea*, ſecundo uvea, & tertio retina retiformis.

715. Vel *Communis* nominis ſunt vel primi *ordinis* ut *adnata* & *innominata*.

716. Vel *ſecundi*, ut *aranea* & *Citrea*.

717. *Liquida* partes oculi ſunt tum *Adeps* inſerviens irrigationi oculorum.

718. Tum *humores*, quorum alius *principalis* & eſt cryſtallinus.

719. Alius *minus principalis* & eſt tum *aqueus*, tum *Citreus*. *Inferior* pars faciei eſt tum *Naſus*, ubi *exterior* iterum & *ſuperior* eſt *oſſea* ac immobilis, *inferior* eſt *cartilago*.

720. *Interior* pars nafi ſunt tam *Nares* & *os cribroſum* cum proceſſibus mammilaribus.

721. *Communis pars* nafi ſunt *Vibriſſi*, pili iu narium antro geniti.

722. Tum eſt *Os* pars capitis recipiendo alimento & reſpirationi inſerviens.

723. Ejus partes aliæ ſunt *externæ*, qvarum tum *ſuperior* ut Pomum inter naſum & aures.

724. *Inferior* eſt *Bucca*, in qua interdum fovea conſpicitur, quæ *Gelaſinus* appellatur, ſub naſo cavitas *philtron* dicitur.

725 Tum eſt *Mentum*, ſupra quod *Labium*, tàm *ſupersum* quàm inferius.

726. *Interna* partes ſunt vel *continentes*, quæ

quæ partim *ossea*, ut est tum *Maxilla*, quæ est os capitis in extremitate continens dentes.

727. Estque vel *superior*, vel *inferior*.

728. Tum *Dentes* ossa durissima præparandis cibis destinata.

729. Et sunt vel *anteriores*, tum *incisorii* quatuor, cibum incidentes.

730. Tum sunt *canini* duo in qualibet maxillâ cibum confringentes.

731. *Posteriores* sunt tum *molares* seu *maxillares* quatuor.

732. Tum *gemini* quatuor è quibus duo *sapientes* nominantur.

733. Et numerantur in universum triginta duo.

734. Partim sunt partes internæ oris *carneæ*, quæ vel *continuæ* & vel *majores* ut Lingva, pars capitis carnea spongiosa, organum gustus.

735. Vel *minores* & est tum Uvula caruncula fungosa à palato usque ad meatus narium in os propendens.

736. Tum *Tonsillæ* partes spongiosæ circa linguæ radicem.

737. Vel sunt *continuæ* partes, ut *Gingiva*, caro dentes stabilens instar valli.

738. Tum *Palatum* pars oris superior concava. Partes capitis *Laterales* sunt *Aures*

ex variis coagmentatæ, quibus aura ingenita auditui inservit.

739. Et earum pars alia *exterior* prominentia illa cartilaginosa, cujus superior pars dicitur *prima*, *inferior* auricula & *Lobus*.

740. *Interior* pars aurium est vel *nervea* continetque *Tympanum*, membrana tenuis & robusta, *pelvim* & *labyrinthum*.

741. Vel est *ossea* pars, ut est tum os *petrosum*, tum *ossicula*, ut *Malleolus*, *Incus* & *stapes*.

742. Sic fuit Venter *separatior superior*, nempe caput, sequitur *conjunctior Venter inferior*.

743. Estque tum inibi *præmittendum collum* pars rotunda ad hvmeros usque protensa propter vocis modulationem.

744. Et est ejus pars alia *externa*, & vel *anterior*, continetque *nodum gutturis* & *Laryngem*.

745. *Posterior* dicitur *Cervix* ab occipitio ad scapulas usque exdurrens.

746. *Interna* partes sunt *Trachea*, *Oesophagus*.

747. Tum est *exponendum* partim quoad medium ventum seu *Thoracem*, partim quoad *infimum* seu *Abdomen*.

748. Est autem *Thorax* superior pars trunci, quæ costis & claviculis circumscribitur & diaphragmate ab infimo ventre separatur con-

continens *Cor*, fontem caloris & *pulmones* organon respirationis.

749. Ejus partes aliæ sunt *externæ*, & vel diversæ, tum *anteriores*, quarum totum dicitur *Pectus* & quidem habet partes vel *molliores*, ut sunt mammæ, quæ habent tum papillas & areolas.

750. *Duriores* partes sunt *clavicula* ossa claudentia thoracem, firmantia scapulas cum *Sterno*, ubi etiam *cavitas pectoris* & *Præcordia*.

751. *Posterior* pars thoracis vel est *elatior*, scapulæ os humeri latitudinem constituens, incumbens super humerum.

752. Vel *prominentior*, & est *spina dorsi*, à primâ cervicis vertebrâ usque ad os coccygis.

753. Et inveniuntur, ut plurimum duodecim, rarò tredetim, dorsi, lumborumque quinque.

754. Partes *eadem* sunt *costæ*, quæ sunt partes osseæ thoracis fulcientes latera.

755. Et sunt vel *Veræ* septem superiores, vel *Spuriæ* qvinque in utroque latere.

756. *Internæ* partes thoracis sunt vel *primariæ* ut est tum *cor*, tum *pulmo*.

757. *Cor* autem est pars corporis princeps, fons vitæ, caloris vivifici sedes. Substantia ejus est caro dura & densa.

758. Ejus *partim partes exteriores* sunt *auriculæ* duæ, illarumque *dextera* est *major* in dextro basis latere, ubi vena cava sanguinem infundit.

759. Et *sinistra minor* in sinistro latere, ubi arteria venosa cordi aërem advehit.

760. *Interiores* partes sunt tum *Ventriculi* cavitates superficiem habentes in æqualem.

761. Et eorum alius est *dexter*, qui sanguinem recipit ex venâ cavâ; alius *sinister* angustior arteriam continens.

762. Tum sunt *Vasa* ubi etiam sunt *Valvulæ* tum *semilunares*, tum *tricuspides*. *Partim motus* cordis, qui duplex *diastole*, quæ est dilatio cordis, & *systole* contractio cordis.

763. *Pulmo* est pars carnea mollis & spongiosa pro respirationis organo conformata. Cujus pars alia *dextra*, alia *sinistra*, quarum quælibet in *lobos* dividitur.

764. *Secundaria* partes thoracis sunt vel *deferentes*, vel *sanguinem*, ut *Vena arterialis* & *arteria Venalis*, vel *materiam subtiliorem* ut *Arteria aspera* quarum pars alia *larynx*, alia *bronchus* dicitur.

765. Vel deferens *crassiorem* materiam & est *æsophagus*.

766. Vel sunt *defendentes*, ut est *pleura* membrana tenuis nervea.

767. Et *pericardium* membrana cor suo ambitu includens. 768.

768. Hucusque de *medio* ventre, sequitur de *infimo*.

769. Et sunt partes ejus *externa* aliæ *anteriores*, aliæ *posteriores*.

770. Partium *anteriorum* alia iterum *superior*, ut *hypochondrium*, quod vel *dextrum*, vel *sinistrum*.

771. Et *media* regio *umbilicalis*, cujus partes laterales dicuntur *inania*.

772. *Inferior* pars est *hypogastrium*: Ejus partes tum *cingentes* vel *communes*, ut *cuticula*, pellicula vitæ sensusque expers, tenuis, densa, exsanguis.

773. Tum est *cutis* membrana temperata tactus instrumentum.

774. Vel sunt *propriæ* partes hypogastrii, ut sunt partim *musculi in genere* partes organicæ motus voluntarii instrumenta.

775. Et habent partem tum *carnosam* quatenus tendo dicitur.

776. Vel *tendinosam*, ubi apparet *alba* & *dura*. In *specie* musculi abdominis, seu infimi ventris sunt vel *obliqui descendentes* partim à parte superna ad inferiorem.

777. Tum *ascendentes* habentes figuram triquetram. Vel sunt *recti innominati* & est *par tertium* ab anteriore pubis ad sterni cartilagines procedens.

 778. Tum

778. Tum *nominati, pyramidales* incumbentes rectorum infimis tendinibus.

779. Tum *transversi* quintum par.

780. Partim est *peritonæum* membrana viscera inferioris ventris vestiens.

781. Estque *duplex* ubique maximè apparens circa spinam dorsi. Quo refertur etiam *omentum* membrana densa ac tenuis ex pluvimis venis arteriisque in formam retis contexta.

782. Sic fuerunt partes, cingentes sequuntur *fulcientes* & sunt *ossa*, quorum alia *communem* habent appellationem. Et quidem *os commune est, quod illum intestinum continet alias innominatum.*

783. Propriam appellationem habet tum *os sacrum*, latum & immobile dorsi basin constituens.

784. Tum *os coccysis* ultima dorsi portio ex aliis ossibus constans.

785. Posteriores sunt *lumbi* & *nates.*

786. Sic fuerunt *externæ* partes, sequuntur *internæ* & vel inserviunt *nutritioni*, tum *concoctioni* vel *primæ*, & est *Ventriculus.*

787. Est autem *Ventriculus* pars organica in infimo ventre sub diaphragmate chylificationis instrumentum.

788. Habetque tum *orificia duo* in supremâ regione ventriculi : Quorum alterum *sinistrum* superius, *dextrum* inferius.

789. Tum

789. Tum habet *membranas triplices* quarum prima *communis* â peritonæo nata, secunda *carnosior*, tertia *nervosior*.

790. Tum est pars *inserviens* concoctioni *secundæ* & dicitur *Epar*.

791. Est autem *Epar* pars princeps, instrumentum secundæ concoctionis procreans massam sanguineã una cum spiritu naturali. Et dividitur in partem *dextram* & *sinistram*.

792. Ex epate verò oriuntur *Venæ*. Est autem *Vena* pars simularis spermatica, cava mollior continens sanguinem, distribuens cum nutritionis gratia per totum corpus.

793. Habetque partim *Valvulas seu ostiola* in interna cavitate.

794. Partim divisio notanda, quatenus alia est *importans* & *exportans simul*, vel exportans *tantùm*.

795. *Importans simul & exportans* est *Vena porta* & est vena maxima laxior & mollior.

796. Rami autem ejus alii sunt *superiores* qui per epatis cavam partem dispersuntur.

797. Alii *inferiores* quo referuntur *Venæ meseraicæ*. Tum est *truncus*, cujus sunt duo insigniores rami, nempe *splenicus*, qui ad splenem fertur.

798. Tum *mesentericus*, qui in intestina dilabitur, ex quo oriuntur hæmorrhoidales.

799. Tum est *Vena cava*, quæ *exportans*

est tantùm, habetque truncum *ascendentem*, *diaphragma* penetrans per thoracem ad jugulum usque.

800. Ex quo trunco oriuntur tum *phrenica* vena ad pericardium declinans.

801. Tum *coronaria* basin cordis ambiens.

802. Et *truncum subclavium*, qui ad claviculas pergit, ubi *speciales* sunt *vena mammaria* & *mediastina*.

803. *Generalis* verò est *cervicalis*, ubi alia *axillarum* vel *Cephalica* ad humeri flexuram, vel *basilica* ab axillari inter musculos *brachii*.

804. Tum est ramus *descendens*, & iterum vel est *renum vena* adiposa & emulgens, vel est *spermatica* & *lumbaris*.

805. Sic de partibus, quæ ad *concoctionem* faciunt, sequuntur quæ ad *expulsionem*.

806. Et est vel expulsio concoctionis *primæ* dicunturque *intestina*, quæ habent substantiam membranosam tribus tunicis & fibris constantem.

807. Et sunt vel *gracilia*, inter quæ vel *brevius* ut *duodenum* in dextero latere.

808. Et *jejunum* intestinum post duodenum circa umbilicalem regionem in orbes quàm plurimos convolutum.

809. Vel est *longius* ut *ileon*, intestinum sub umbilico à jejuno incipiens desinens ad cæcum.

810.

810. Vel sunt *crassa*, & vel est *involutum* ut est tum *cæcum*, quia per idem foramen ingreditur chylus exitque.

811. Tum est *colon fluxum* sub ventriculi fundo circa primam ossis sacri vertebram.

812. Vel est *rectum* desinens in anum, longum palmum unum cum dimidio.

813. Ejus finis est *podex*, cujus musculi vel *innominati*, vel *nominatus* ut est *sphincter*.

814. Vel sunt partes servientes expulsioni *secundæ* concoctionis, & vel educunt *humorem bilioſum*, ut est tum *lien* viscus fungosum carne molli in sinistro latere.

815. Tum *Vesicula fellis* vas oblongum in medio epatis ad fel excipiendum: ubi est *canalis bilarius*.

816. Vel *excrementum* seroſum: & vel sunt *multiplices*, ut *renes*, in qvibus sunt glandulæ & membranæ.

817. Tum sunt *ureteres* canales rotundi à renibus ad vesicam porrecti.

818. Vel *simplices* ut est *Vesica urinaria*, cujus fundus latior & in centro *urachus* nascitur, *cervix* verò est angustior.

819. Sic fuerunt partes ad conservationem, sequuntur ad *generationem*, de qvibus consulendi sunt Medici & potissimum Anatomici.

820. Sunt verò aliæ *communes* utrique sexui, *præparantes* & *perferentes*.

821. Aliæ *propriæ* vel *maribus* vel *fœminis*.

822. Hucusque *Ventres* fuerunt, sequuntur *artus*. Sunt autem *artus* membra ex trunco exporrecta.

823. Et sunt *superiores*, ut *brachia* instrumenta instrumentorum: & est *in genere* vel *dextrum* qvod est agilius plerisque vel *sinistrum*.

824. In *specie* utriusque brachii pars alia *superior humerus*, qui est pars à trunco corporis ad cubiti flexuram usque.

825. *Inferior* est tum *cubitus* pars brachii inferior à flexurâ ad carpum.

826. Tum est *manus* apprehensionis instrumentum, pars brachii extrema à carpo usque ad apices digitorum porrecta.

827. Ejus partes sunt vel *conjuncta* & partim *brachiale* seu *carpus*, partim est *metacarpium*.

828. Tum sunt *distincta* partes *digiti* quorum extremum sunt *ungues*.

829. Et est digitorum alius *brevior pollex*.

830. Vel est *longior* & tum *præstantior* ut index & medius.

831. Vel *minus præstans* ut est *annularis* & *auricularis*, secundum versum:

832. Doctor,

832. Doctor, Mercator, Stultus, Studiosus, Amator.

833. Vel sunt *inferiores* artus. Et sunt *pedes* ab articulo coxendicis ad extremos usque digitos protensi.

834. Et est pedis pars vel *superior Femur* usque ad genu.

835. Vel *inferior* tum *tibia* pars à genu ad calcem usque protensa, cujus pars anterior crea vocatur, posterior *sura*.

836. Tum *genu* cujus pars anterior dicitur *mola* seu *rotula* posterior verò *poples*. In imâ parte pedis sunt *malleoli* seu *tali*.

837. *Extrema* pars pedis est *pes parvus*, & ejus partes sunt vel *continuæ* ut *calcaneus* seu *tarsus*. tum *metapedium*.

838. *Distinctæ* partes pedis sunt *digiti*, & quidem totidem quot in manibus.

839. Hucusque de partibus *continentibus* humani corporis, sequitur de *partibus contentis* & sunt tum *humores*, tum *spiritus*.

840 Est autem *humor* vel *primigenius*, qui ex ipso ortu nascitur, ut est tum *humidum radicale*, spiritus per substantiam totius diffusus, caloris nativi fundamentum.

841. Tum est *crystallinus* humor albus, visus instrumentum, cujus propugnaculum est *aqueus humor*, alimentum verò *vitreus*.

842. *Postgenti* vel sunt *alimentarii* & vel *primarii*, tum *imperfectiores*, ut *chylus* alimentarius humor albus mediocriter crassus in ventriculo ex alimento per concoctionem elaboratus.

843. Tum est *chymus*, humor rubeus per venas mesaraicas ad epar traducto chylo factus.

844. Tum *perfectiores* sunt tum pituita, humor frigidus alimentarius ex chyli parte mediocri in epate productus.

845. Tum est *sanguis*, humor dulcis ruber in epate per calorem productus.

846. *Secundarius* humor est partim innominatus, qui pro dispositione partium mutatur.

847. *Nominatus Liquidior* dicitus ros & in media partium cavitate continetur.

848. Tum *crassior* & est *gluten* ex rore medio conflatus : & *cambium* humor carniformis in partium substantiam mutatus.

849. *Non alimentarii* humores sunt vel *utiles* tum ad *speciei procreationem*, *sperma*.

850. Tum ad *individui conservationem* & est tum *bilis*, quæ vel *flava* humor tenuis calidus, siccus, amarus in vesicula fellis,

851. Vel est *atra bilis* humor frigidus nigricans ex terrestriore chyli parte in epate productus à liene attractus.

852. Tum

852. Tum est *serum* humor aquosus à jecore & venis expulsus & à renibus attractus.

853. *Inutilis* humor est tum *mucus*, tum *sudor*. Sic de *humoribus*, sequitur de *spiritibus*.

854. Est autem *spiritus* pars corporis contenta vaporosa, animæ domicilium.

855. Et est vel *insitus* ex primis generationis principiis genitus per omnes partes solidas diffusus.

856. Vel est *influens* & vel *communis*, ut tum *vitalis* ex spiritu naturali in corde genitus, tum *naturalis* in epate.

857. Tum est *proprius* & dicitur *animalis* in sinubus cerebri confectus.

858. Hucusque Anthropologia qvoad Somatologiam, sequitur *PSYCHOLOGIA* scientia animæ.

859. Et vel est *generalis* ejus pars, vel *specialis*.

860. *Generalis* est, quæ agit de anima in *genere*, & continet vel *definitionem*, secundum quam *anima* est actus primus corporis naturalis organici vitam habentis potentiâ.

861. Secundum *affectiones* anima inest toti & omnibus partibus *æqualiter*, *radicaliter* verò est in corde.

862. Specialis ΨΥΧΟΛΟΓΙΑ est, quæ agit

agit in ſpecie, & quidem vel de anima *mortali*, ſeu *irrationali*.

863. Et anima *mortalis* eſt quæ ex potentia materiæ educitur: unde etiam interit, quia à corpore dependet.

864. Eſtque vel *vegetativa* actus corporis phyſici, quo naturales vitæ actiones agit.

865. Cujus *facultates* ſunt vel *principes*, ut eſt *creatrix* facultas animæ novam ſubſtantiam ex ſemine prolificio ad ſpecierum conſervationem formans.

867. Vel eſt *conſervatrix*, facultas quæ vitam conſervat viventis.

868. Et eſt iterum vel *nutritiva*, quæ alimentum in corporis ſubſtantialem convertit.

869. Vel *augmentativa*, qua totum corpus ſecundum omnes dimenſiones ad juſtam quantitatem producitur.

870. Vel ſunt facultates *minus principales*, ſeu *miniſtræ* & verſantes vel circa *acceſſionem* ut eſt *attractrix*, quæ alimentum conveniens per certas à natura ordinatas vias attrahit.

871. Vel *retentrix*, quæ alimentum per fibras obliquas retinet, donec coquatur.

872 Vel verſantur circa *mutationem* & eſt tum *alteratrix* facultas miniſtra, quæ detenta alimenta immutat.

874. Tum

874. Tum est *expultrix*, quæ à partibus inutile expellit.

875. Sic fuit de anima vegetativa secundum *facultates*, sequitur secundum *actionem*.

876. Et est, tum per se *vita*, quæ est permansio animæ in calore.

877. Ejus oppositum est *mors*, quæ est extinctio caloris nativi: qvæ vel *naturalis*, quando humidum naturale à naturali calore consumitur, vel est *violenta* mors, quando extinguitur calor præter naturam.

878. *Sic fuit anima vegetativa*, sequitur *sensitiva*, quæ secundum *definitionem* est actus corporis organici, quô vivens sensilia percipit.

879. Ejus *facultates* sunt *apprehensiva*, quæ sensum beneficio phantasmata concipit.

880. Est autem *sensus* apprehensio sensilium: & *sensile* est, quod sensu percipitur.

881. Consideratur verò in omni sensu in *genere* tum *organon*, per quod sensile percipitur, tum *medium*.

882. Secundum *species* sensus est vel *internus* vel *externus*.

883. *Sensus externi* vel percipiunt species *admotas*, vel *remotas*.

884. *Admotas* qvi percipiunt sunt tum tactus

ctus ſenſus externus omnes corporum qualitates tactiles comprehendens.

885. Et ejus *internum* inſtrumentum eſt *cutis*, præſertim ea, quæ eſt in volâ manûs, *externum* eſt omne Tactile.

886. Tum eſt *guſtus* externus ſenſus ſapores per linguam guſtabiles percipiens.

887. *Sapor* verò eſt qualitas corporis in terreſtri humido & aqueo, per calorem generata.

888. Ejus organon eſt *lingua*, cui inſervit humiditas ſalivalis.

889. Senſus qui ſentiunt ſpecies *remotas* ſunt *Nobiliores* ut eſt *Viſus* ſenſus externus percipiens viſibile, quod potiſſimum in colore.

890. Color verò eſt vel *apparens*, vel *verus*.

891. Ejus medium eſt *perſpicuum*, inſtrumentum oculus, qui non per emiſſionem, ſed per receptionem ſentit.

892. Tum eſt *auditus* ſenſus externus percipiens audibile.

893. Ejus internum inſtrumentum eſt *auris*, medium aura ingenita.

894. *Ignobilior* ſenſus eſt *Olfactus* ſenſus externus odores percipiens.

895. Ejus inſtrumentum eſt *Naſus*, medium *aër*, & *aqua*.

896. Fue-

896. Fuerunt ſenſus *externi* ; ſequuntur *interni*, qui ſpecies rerum ſenſibilium externis ſenſibus apprehenſas interius percipiunt.

897. Quorum alius eſt *concipiens*, alius *conſervans*.

898. *Concipiens* ſenſus eſt tum *communis* omnium externorum ſenſuum ſpecies per nervos apprehendendo diſcernens.

899. Unde ejus officium eſt *cognitio generalis*, quæ apprehendit ſpecies, quæ ſenſui externo efferuntur; & *diſcretio* quâ res à ſe invicem diſtinguit.

900. Tum eſt *Phantaſia* ſenſus internus ex præceptis rerum ſenſibilium ſpeciebus alias eliciens.

901. Ejus officium eſt *æſtimatio* rerum apprehenſarum: & *collectio*, quæ ex ſpeciebus oblatis imagines conficit.

902. Vel eſt ſenſus *conſervans*, *Memoria*, quæ eſt ſenſus internus ſpecies conceptas ſenſibiles recondens & depromens.

903. Ideoque ejus officium eſt imagines conceptas *retinere*, & quando neceſſitas flagitat *reddere*.

904. Horum ſenſuum *internorum affectiones* ſunt tum *ſomnus*, qui vel conſideratur *per ſe*, qui naturalis quies eſt ſentientis facultatis ad ſalutem animati : oriturque ex vaporibus à partibus inferioribus exhalatis

in

in cérebrum per quos ligantur ſenſuum externorum operationes, interim anima vegetativa operatur.

905. Ejus affectio eſt *ſomnium*, quod eſt viſum animalibus in ſomno apparens.

906. Quorum cauſa eſt vel *phyſica* ex ſpiritibus, qui ſpecies in cerebro contentas diverſimodè agitant.

907. Et ſunt vel *ſignificativa*, vel *non ſignificativa*. *Hyperphyſica* ſunt, quarum cauſæ tum *DEus*, tum *Angeli* in bonis boni, in malis mali.

908. Tum eſt *vigilia*, quæ eſt privatio ſomni. Sic fuit de facultate *apprehenſiva* animæ ſentientis, ſequitur *de Motiva*.

909. Eſt autem *Motiva facultas*, quæ motus animales in corpore excitat.

910. Et eſt vel *vitalis*, vel *ſenſualis*.

911. *Vitalis* conſervatur per *ſpirationem*, quæ eſt aëris inſpirati motio.

912. Et eſt ea vel *inſenſilis*, quæ fit in toto corpore, per poros.

913. Vel eſt *ſenſilis*, quæ dicitur *reſpiratio*, quæ eſt actio, quâ aër per pulmones cordi inſpiratur & poſtmodum exſpiratur.

914. Et per *pulſum*, qui eſt motus cordis & arteriarum conſequens actionem animæ circa generationem ſpirituum vitalium.

915.

915. *Sensualis* verò motiva facultas cognitionem sensuum insequitur.

916. Et est vel *appetitiva*, vel *locomotiva*.

917. *Illa* est vis animæ, quâ sui conservationis causa fertur animal.

918. Et est vel *concomitans*, quando animal inter sentiendum afficitur tum per *voluptatem*, quæ est motus, quo animal ob convenientis objecti perceptionem suaviter afficitur.

919. Et quidem *externa* voluptas est, quæ sensibus externis convenit, *interna*, quæ sensibus *internis*.

920. Tum per *dolorem*, qui est motus ex lædentis objecti perceptione ingratus.

921. Et æquè est vel *externus*, ut dolor corporis, vel *internus* unde tristitia.

922. Vel est *consequens* motus & dicitur *affectus*, qui est animalis ex perceptione objecti motus.

923. Et est vel objecti *approbati absentis* ut desiderium, quod est affectus appetens bonum absens quodlibet.

924. Et *spes* affectus bonum futurum cum voluptate appetens.

825. Vel est boni *præsentis*, ut tum amor affectus appetens unionem cum bono maximè convenienti.

926. Tum

926. Tum est *Lætitia* affectus boni percepti cum voluptate.

927. Vel est objecti *improbati* & vel *simplicis* tum *absentis* mali, ut *Metus* affectus malum imminens fugiens.

928. Tum *præsentis*, & est partim *Odium* affectus malum præsens improbans cum studio amovendi.

930. Tum *Tristitia*, affectus ob malum præsens cum dolore.

931. Vel est *mixtus*, ut *Zelotypia* affectus ex amore & indignatione.

932. Motus *localis* est quo animal insita vi movetur de loco in locum, & vel *totaliter* vel *partialiter*.

933. Hucusque fuit anima *irrationalis*, sequitur *Rationalis*.

934. Est autem *anima* rationalis pars hominis essentialis, per quam homo operationes sibi proprias obtinet.

935. Ejus verò *facultas* in *genere* est *ratio*. Cujus potentiæ in *specie* sunt tum *intellectus*, qui est facultas animæ rationalis, qua res intelligibiles perceptas dijudicat.

936. Estque vel *simplex*, qui notiones rerum simplices apprehendit.

937. Vel est *compositus*, qui res simplices animo conceptas conjungit.

938. Et

938. Et est vel *noëticus* sine discursu notiçias disponens.

939. Vel *dianoëticus* unum ex alio deducens: qui iterum vel *agens*, acta talia præstans, vel *patiens* omnia recipiens.

940. Tum est *Voluntas* facultas animæ rationalis, quâ ab intellectu cognita sub ratione boni, vel mali aut eliguntur, aut fugiuntur.

941. Ejus actio alia est *elicita*, quæ à propria voluntatis naturâ elicitur, unde *Velle* & *nolle*.

942. Alia est *imperata*, quando voluntas quædam fieri imperat per inferiores potentias.

943. *Secundariæ* facultates sunt tum *risus*, facultas animæ rationalis ad objecta risibilia repræsentanda ordinata.

944. Tum *oratio*, quæ est facultas sermocinatrix: est enim solius animæ rationalis operatio.

Cap. V.

De

Philosophia Practica.

945. Fuit hactenus *PHILOSOPHIA Theoretica*, sequitur *PRACTICA*.

946. Et

946. Et eà vel eſt in *Præceptis*, vel in *Exemplis*. Quæ in *Præceptis*, vel eſt *Communis* & dicitur

ETHICA.

947. *ETHICA*, quæ eſt prudentia actionum humanarum per virtutem ad ſummum bonum dirigendarum.

948. Ejus pars alia eſt *EVDÆMONOLOGIA*, quæ eſt prudentia de ſummo bono.

949. Et quidem agit de eo Ariſtoteles *lib.* I. Ethic. ad Nicom. Datur aliquis *finis* actionum humanarum.

950. Datur etiam aliquis *ultimus* finis, qui eſt *præſtantior intermediis*.

951. *Methodus* eſt *analytica* & talis, qvalis eſt maxima in *Ethicis*.

952. Juvenis motibus auditor eſſe non poteſt, quia affectibus talis indulget.

953. Sunt diſcrepantes opiniones de ſummo bono, dum alii in honoribus, alii in divitiis, alii in voluptatibus, alii in idea, alii denique in veritate conſiſtere ſtatuunt.

954. Verum *ſummum bonum* eſt præſtantiſſimum & optimum bonum.

955. Seu eſt operatio animæ rationalis ſecundum optimam & perfectiſſimam virtutem in vita perfectâ.

956. Inde non eſt laudabile, ſed potius honorabile.

957. Tum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [124] - 114
PUBLIC DOMAIN

957. Tum est ARETOLOGIA, quæ est prudentia de virtutibus.

958. Et virtutum causæ sunt aliæ *remotæ*, lib. 2.

959. Virtus comparatur crebris actionibus, seu assuefactione.

960. Virtus non est à natura, neque à doctrina, dum per actiones easdem oritur & corrumpitur.

961. Constare debent actiones ex mediocritate, tam antecedentes, quàm consequentes.

962. *Virtus* non est facultas, quia propter facultates nemo *dicitur bonus vel malus.*

963. Est autem *Virtus* habitus animi electivus in mediocritate, quoad nos ratione definita sicut vir prudens eam definierit.

964. Omnes Virtutes consistunt in *mediocritate.*

965. *Fortitudo* inter timiditatem & audaciam. *Temperantia* inter intemperantiam & sensuum stuporem. *Liberalitas* inter prodigalitatem & illiberalitatem. *Magnificentia* inter luxum & sorditiem. *Magnanimitas* inter fastum & pusillanimitatem. *Modestia* inter ambitionem & honorum contemptum. *Mansuetudo* inter iracundiam & lentitudinem. *Comitas* inter assentationem & morositatem. *Urbanitas* inter scurrili-

rilitatem & inurbanitatem. *Veracitas* inter jactantiam & dissimulationem. *Justitia* inter injustiam tam in excessu, quàm in defectu.

966. Difficilis est virtus, sed tamen medium invenire possumus. Si maximè contrarium medio vitium vitamus; si illud, ad quod natura est magis proclivis, fugiamus; & denique si voluptas in omnibus vitetur.

667. Causæ proximæ sunt *spontaneæ actiones* lib. 3. Est autem *spontaneum*, cujus principium est in ipso agente sciente singulas actionum circumstantias.

968. *Invitum* verò est quod quispiam facit vel coactus per violentiam vel per ignorantiam.

969. Et est, *invitum violentum*, cujus principium est extra agentem: ejusque *actiones* sunt vel *excusabiles* quædam, quando turpe quid facimus coacti; vel *inexcusabiles*, quando exigui commodi gratia turpe committitur. *Invitum* autem *imprudens* est agentis circumstantiarum ignari, innocentis & dolentis: actiones autem ex affectu non sunt invitæ.

970. *Spontanei* verò & inviti affectio est *Electio*, quæ est spontaneum prius deliberatum. Idque fit, quando deliberarur de iis,

quæ à

à nobis fieri possunt : Non verò de fine, sed de mediis instituitur deliberatio.

971. Omnes a. virtutes sunt mediocritates ex crebris actionibus comparatæ, in nostrâ potestate, quia principium habitus est spontaneum.

972. Sunt autem *species Virtutum* vel *absque gradu*, & vel *morales* : earumque vel *simplex* respiciens magis interna, & quidem appetitum *irascibilem*, & est *Fortitudo*, quæ mediocritas circa metum & fiduciam.

973. Ejusque *objectum* est *generale*, omne *formidabile & fiduciale* : ut sunt dedecus, infamia, scelera, invidia, paupertas, stupra, morbus, captivitas.

974. Vel est *speciale* objectum *mors*, potissimum bellica. Unde vir fortis occupatus in iis, quæ vel sunt *supra* hominem, & sunt majora, quàm ut possint contemni ab hominibus : ut sunt bellum, fulmina, terræmotus, vel *secundum* hominem.

975. Ejus *extrema* sunt tum *audacia*, vitium excedens in fiducialibus & formidabilibus.

976. Tum *Timiditas*, defectus in fiducialibus.

977. Species fortitudinis sunt, quod quædam fortitudo *cognoscat* pericula, & est *invi-*

ta quæ est *politica* ex necessitate & coacta legibus.

978. Vel est *spontanea militaris* & experimentalis, non tamen vera.

979. Vel *non cognoscit* periculum, & est propter affectus impotentiam. Et est tum *iracunda* fortitudo, quæ est ex vindictâ & usitata bestiis.

980. Tum est *fiduciaria*, quæ sperat ex voto eventura cuncta.

981. Vel denique est fortitudo *ex ignorantia*, quando quis delicias quærit.

982. Vel in bello est circa appetitum *concupiscibilem*, & est *Temperantia*, quæ est mediocritas circa voluptates & dolores.

983. Sunt autem *voluptates* vel *naturales*, quæ nobis communes sunt cum bestiis, & quæ versantur circa *gustum* & *tactum*: in his potissimum occupatur temperantia, dum faciunt ad conservationem speciei & individui.

984. Vel sunt *accersita*, in quibus maximè peccatur quum non appetitur id, quod oportet, non quantum, non quomodo.

985. *Voluptates* verò *animi* non sunt objectum, quia propter eas non dicuntur homines temperantes vel intemperantes.

986. Temperantiæ in *excessu* opponitur *intemperantia*, quæ est excessus voluptatum omnia jucunda desiderans.

987. In *defectu* est *stupiditas*, defectus in voluptatibus, quando minus, quàm docet, lætamur. Temperans propterea in omnibus mediocritatem observat à turpibus abstinendo, & honesta modicè appetendo. Sic fuerunt virtutes *simplices* respicientes *interna* potissimum, sequuntur respicientes *externa* lib. 4.

988. Sunt vel *perfecta* & vel *extra conversationem*, tum circa *divitias* & *mediocres*, & est *Liberalitas*, quæ mediocritas in pecuniis mediocribus erogandis.

989. Sub *pecuniæ* verò appellatione omnes res veniunt, quæ æstimantur.

990 Illiberalis dicitur ἄσωτος dum non servat sibi substantiam.

991. Liberalitas verò versatur magis in *dando*, quam *accipiendo*, quia honestius agere, quam pati; quia dando gratiam meremur & laudem.

992. In *accipiendo* etiam *liberalitas*, si honesta tantum accipiamus, quia actiones liberalitatis debent esse honestæ; & quia peccamus in excessu, si absque discrimine omnibus detur; in defectu, si à quibuslibet accipiatur.

993. Liberalitatis *excessus* dicitur *prodigalitas*, excessus circa pecunias erogandas, licet

cet minus vitio à fit, quia facilè corrigitur, unde utilior eſt avaritia.

994. In *defectu* eſt *avaritia*, quando quis ſupra modum accipit & dat infra modùm neglecta æqualitate. Eſtque deterius vitium, quia nemini prodeſt, & homines frequentius circa id peccant.

995. Vel verſatur circa *majores* pecunias, & eſt *Magnificentia*, mediocritas circa magnas pecunias, aliquod opus durans relinquens.

996. Non enim magnificus eſt, qui ſumptus impedit in res *inutiles*, ſed qui in res *decoras*: ut ſunt *templa*, *bibliothecæ*, *ſcholæ*: non qui in *privatas* res aliquid impendunt, niſi quæ ſemel tantùm fiunt, ut *nuptiæ*, *funera*:

997. In iis verò quæ ſæpius fiunt parciores impendendi, ut *Genethlia*, ac *hoſpitalitates*.

998. Ejus *exceſſus* eſt *ambitio*, ſi quis neglecta honeſtate magnos faciat ſumptus abſque delectu pro libidine, diciturque *luxus inconvenions*,

999. In *defectu* eſt *ſordities*, ſi fiant ſumptus magni in res parvas aut procraſtinantur largitiones.

1000. Vel circa *Honores*, & vel *magnos*, & eſt *Magnanimitas*, quæ eſt mediocritas circa ma-

magnos honores, quibus quis dignus propter meritum.

1001. Et tamen non insolescit magnanimus, quando exhibentur, aut frangitur quando non, quia honores inter res parvas numerantur.

1002. Neque est superbus: interim aliis excellere cupit, inque quotidianis negotiis est cunctator, apertè amar & odit, in vulgus dissimulator est, de se non multum loquitur.

1003. In *excessu* est *arrogantia* & fastus, si majores, quam quis meritus, honores appetantur.

1004. In *defectu* est *extenuatio*, parvitas animi, si quis in petendis honoribus est timidus.

1005. Vel versatur circa *mediocres* honores, diciturque latinis *Modestia*, mediocritas circa *parvos* honores.

1006. Ejus *excessus* est *ambitio*, honoris nimia cupiditas.

1007. In *defectu* est *honorum contemptus*, etiam debitorum neglectus.

1008. Hucusque de virtutibus *extra* conversationem, sequuntur *in conversatione*. Et respiciunt vel *iram* vocaturque *Lenitas* seu *Mansuetudo*, quæ mediocritas omnes ob-

ſervans iræ circumſtantias honeſtatem ubique tuendo.

1009. In *exceſſu* eſt *iracundia*, ejus ſpecies eſt *excandeſcentia*, quando ſtatim qvis effervescit, & *amarulentia*, quando quis placari non vult.

1010. In *defectu* eſt *lenitas nimia*, quæ eſt in ignavis & ſtolidis.

1011. Vel reſpiciunt *familiaritatem*, & vel in *ſeriis*, quæ vel ſpectat *perſonas*, & eſt *Humanitas*, quæ mediocritas in converſatione. Ne quis vel nimium ſit blandus & aſſentator, qui omnibus placere velit: *neve etiam morosus & litigioſus*; ſed dictorum factorumque ſuavitate, habitâ tamen ubique honeſtatis ratione, ſit facilis.

1012. In *exceſſu* eſt *aſſentatio*, quando quis quibusvis per omnia obſequitur, vel utilitatis vel voluptatis causâ.

1013. Et in *defectu* eſt *moroſitas*, qua laborat is, qui nemini obſequitur, & omnibus contradicit.

1014. Circa *Res* eſt *Veracitas*, quæ mediocritas in dictis & factis veritatem obſervans.

1015. In *exceſſu* eſt *ſimulatio*, nimium efferendo, quæ non ſunt aut quæ ſunt, quando quaſi mentitur ex ſola libidine honoris & lucri gratia. Unde arrogans verſatur circa

omnia

omnia mendacia ex sola libidine aucupans gloriam præter meritum.

1016. In *defectu* est *dissimulatio* seu ironia, quando quis sibi derogat aliis, quæ bene merita & se contemtum facit.

1017. In rebus *ludicris* est *Urbanitas*, quæ mediocritas in rebus jucundis: ut quando quis facilis pro ratione temporis, rei & personarum, ludos jocos que facit, sed liberales & honestos.

1018. In *defectu* est *rusticitas*, quando quis nec jucunda dicere, nec alios dicentes audire vult, *dum nescit* conversari.

1019. Virtus *imperfecta* tum *Verecundia* timor rusticus. Ejus *excessus* est *animi consternatio* seu pudor immodicus: *defectus* est *impudentia*,

1020. Tum est *Tolerantia*, quæ non tam virtus, quam virtutis dispositio.

1021. Hucusque fuerunt virtutes *morales* simplices, sequitur *complexa* lib. 5.

1022. *Justitia*, quæ in *genere* est habitus, per quem idonei sumus ad agendum justa.

1023. Quia injustitia est, per quam volumus & agimus injusta: Justum autem est quod contra leges, & inæquale.

1024. Estque quædam justitia *universalis*, quæ virtutes in se continet omnes, dicitur-

que *legalis*, virtus perfecta ad alterum relata; & propterea differt ab aliis virtutibus.

1025. Quædam verò est particularis, quia datur injustitia *particularis*.

1026. Et *illa* vel est *distributiva*, quæ consistit in rerum & personarum distinctione circa præmia & pœnas, secundum proportionem geometricam.

1027. Tum est justitia *commutativa*, quæ versatur circa contractus, secundum proportionem arithmeticam. Unde jus *talionis* non observatur in justitia distributiva, sed potius in commutativa *secundum* tamen *proportionem*, non æqualitatem: quia alias non daretur communio, neque emtio neque venditio.

1028. Nummus est introductus propter rerum indigentiam, quam metitur nummus ex pacto & consensu hominum pro arbitrio.

1029. Interim contingit ut aliquis injustè agens non tamen sit injustus, quia in semetipsum peccat, & *jus* non observat.

1030. Est verò *jus* aliud *politicum* seu *naturale* omnibus hominibus commune, aliud *legale*, quod certam rationem habet.

1031. Inde seipsum injuriâ afficiens non contra justitiam peccat simpliciter, sed tantum ex accidente.

1032. Sic

1032. Sic fuerunt ſpecies virtutum *moralium* ſequuntur *intellectuales* lib. 6. de quibus etiam agendum in Ethicis, quia faciunt ad medii acquiſitionrm nempe ad virtutem moralem.

1033. Sunt autem, *Virtutes intellectuales ſummatim ſimplices*, vel *cum diſcurſu* de rebus, partim neceſſariis, ut eſt *ſcientia*, habitus mentis demonſtrativus in re neceſſaria.

1034. Qui comparatur vel per *ſyllogiſmum*, dum univerſalia ex univerſalibus colliguntur; vel per *inductionem*, quæ ſenſus beneficio ex ſingularibus univerſalia concludit.

1035. Vel eſt de rebus *contingentibus*, & vel cum *effectione* & eſt ars, quæ eſt habitus cum rectâ ratione effectivus.

1036. Siquidem omnis ars *efficit aliquid* & *reliquit* poſt ſe opus poſt operationem manens, dum ars & fortuna circa eadem verſantur.

1037. Vel eſt cum *actione* & eſt *prudentia*, quæ eſt habitus cum ratione agens in iis, quæ bona, vel mala ſunt homini.

1038. Quia is dicitur prudens, qui ad vitam benè beateque agentam procurat neceſſaria: & quia verſatur circa ea, quæ ad ſocietatem publicam & privatam faciunt.

1039. *Abſque diſcurſu* eſt *intelligentia* &

est habitus primorum principiorum. Non enim omne scibile est demonstrabile.

1040. Habitus *compositus* est *SAPIENTIA*, quæ est habitus intellectivus ex scientiâ & intelligentia rerum natura dignissimarum constans. Quia illi dicuntur sapientes, qui admirabilia difficilia & divina sciunt, qui verò utilia prudentes.

1041. *Sigillatim* autem prudentia alia est *politica*, quæ est *practica*, alia *nomothetica* princeps reliquarum omnium, quia, quid agere debeant, præscribit.

1042. Politica verò prudentia alia *est privata & œconomica*, alia est *publica*.

1043. Et formaliter requirit omnis prudentia *consultationem*, quæ est rectitudo eorum, quæ ad utilitatem spectant cum honestate junctorum ad certum finem.

1044. Quam sequitur *perspicacitas*, quæ est bona rerum intelligentia, quam denique sequitur γνώμη seu *sententia*, quæ est rectum judicium viri boni de æquo & bono.

1045. *Affectio* prudentiæ est, quod ea necessaria propter virtutis exercitium, quia prudentia virtutem moralem moderatur, & quia est habitus secundum rectam rationem.

1046. Interim prudentia non imperat sapientiæ, sed tantum quid fieri debeat consulit.

1047. Huc-

1047. Hucusque de Virtutibus *absque gradu*, sequitur de virtutibus *cum gradu* lib. 7.

1048. Et vel in *excessu* ut est *Heroica Virtus*, quæ est supra humanam naturam, dum divina.

1049. Cujus oppositum est *ferocitas* orta ex prava consvetudine barbarorum, vel ex morbis, ut in phreneticis.

1050. Tum in *defectu* est *continentia*, neque enim omnis continentia est laudabilis & bona.

1051. *Interim* quia continens non potest dici prudens dum pravis cupiditatibus agitatur, non est perfecta virtus.

1052. Est autem *continentia* potissimum circa voluptates & dolores occupata, non in modùm temperantiæ, quia in temperantia est integrum judicium; continens verò luctatur cum voluptatibus.

1053. Ejus *oppositum* est *incontinentia*; ubi plurima præter rationem fiunt, quamvis sciat, potissimum circa voluptates sive sint necessariæ sive ascititiæ, sive sint naturales sive etiam non naturales, dum quidam homines belluinis cupiditatibus afficiuntur.

1054. Interim incontinens est melior quàm intemperans, quia hic non potest curari à

vitio dum non agnoscit morbum, non pœnitet facti, neque agit ex proæresi.

1055. Ubi etiam quod non omnis voluptas bona, quia pleræque dignæ vituperatione; neque etiam omnis mala, dum appetitur à prudentibus, dum quædam est animi.

1056. Hucusque de *Virtutibus & Vitiis cum gradu*, sequitur de *Affectione primariâ Virtutum*, & est *Amicitia*.

1057. De quâ partim *absolute*, quoad *naturam* lib. 8. Et *amicitia* est benevolentia mutua.

1058. Ejusque sunt *tres species*, quia tria objecta sunt amabilia.

1059. Et quidem alia est *imperfectior*, quæ est tum *utilis* potissimum inter senes: unde non est durabilis.

1060. Tum *jucunda*, quæ potissimum inter juvenes, quæ est æque instabilis, quia juvenes affectibus reguntur.

1061. Alia est *perfectior* & est amicitia *honesta*, dum inter bonos, & durabilis propter fortissimum amoris vinculum, virtutem scilicet.

1062. Et propterea honesta amicitia præferenda est reliquis, dum non est criminibus obnoxia.

1063. Et licet interdum impediatur quoad distantiam, tamen non tollitur nisi per accidens,

dens, quatenus ſenes fiunt moroſi ſemperque ſunt triſtes. unde etiam non ſunt apti ad amicitiam : non enim libenter converſantur.

1064 Amicitia autem bonorum virorum maximè perfecta, quia ſe mutuò amant, quia honeſtatem reſpiciunt.

1065. Et ea ipſa admittit quidem multos amicos, at unus multis eſſe amicus non poteſt, quia non poteſt multis ſimul placere, utilis & jucundus eſſe.

1066. Amicitia autem jucunda magis dicenda eſt *amicitia*, quam utilis, quia magis ingenua & liberalis : utilis verò eſt ſordida.

1067. Unde qui conſtituti in aliqua eminentiâ, non ſemper delectantur iisdem amicis, quia non ſemper ſunt æquales, licet juſtitia proportionaliter faciat æquales.

1069. Amicitia etiam ex *finibus rerum publicarum* æſtimanda eſt; & alia *bona* eſt *Regia*, *Ariſtocratica* & *Politica*; alia *mala* eſt, *Tyrannica*, *Oligarchia*, *Democratica*.

1069. In *Regiâ* eſt inæqualitas, quia talis qualis eſt inter patrem & filium. In *Ariſtocratica* eſt major æqualitas, quia talis, qualis inter conjuges. In *Politica* æqualitas totalis quia æqualibus fruuntur juribus & beneficiis, qualis ſolet eſſe inter fratres, ubi æquales æqualibus ſe colunt officiis.

1070. Diſ-

1070. Dissolvitur verò amicitia, si æqualitas non observetur debita, ut fit in tyrannicâ, oligarchicâ, democraticâ; dum rixæ seruntur, dum criminationes audiuntur propter πλεονεξίαν.

1071. Sic fuit *natura* amicitiæ ex lib. 8. sequitur de *affectionibus*, quæ referuntur vel ad causas, vel ad effectus, ex lib. 9.

1072. Amicitia conservatur optimè, quando *mutuus* est *amor*, facitque conservandam societatem, alias dissensiones oriuntur, & amicitia tollitur.

1073. *Benè meritis autem debet* quidem *gratia referri*, ut amicitia conservetur; interim observandæ sunt personarum conditiones & leges honestatis & necessitatis & quia eadem omnibus non sunt retribuenda; siquidem parentibus alimenta, præceptoribus honor, sociis & fratribus communitas consiliorum debetur.

1074. Quod si verò alter amicorum in amore non respondeat, non statim deserenda amicitia, nisi amicus improbus factus sit, nullaque sit spes emendationis.

1075. Amicitia conservatur vel maximè *Beneficentiâ*, non sola benevolentiâ.

1076. Amicitia conservatur *Concordia*, quæ respicit consensum in rebus honestis: unde inter malos & improbos esse non potest.

1077. Qui

1077. Qui beneficiarii, magis amant *benefactores*, sunt qnasi creditores & artifices : opus verò suum quisque magis diligit, & quia præstantius est amare tanquam activum, quàm amari.

1078. *Philantia* quædam *mala* est, quando quis nimium indulget suis cupiditatibus : quædam *bona*, quæ studet sibi acquirere optima & præstantissima.

1079. Etiam beatus indiget amicis; quia sunt boni, quia sine iis non potest exerceri virtus, nedum voluptas aliqua sperari.

1080. *Multitudo amicorum in amicitiâ utili* non est possibilis, in honesta difficilis.

1081. Omnes tamen amici sunt utiles in rebus prosperis propter conversationem, & in rebus asperis propter consolationem.

1082. Sic fuit *affectio* virtutum nempe amicitia, sequitur *altera*, quæ est *Voluptas*, de quâ agitur lib. 10.

1083. Et quidem de voluptate agendum in Ethicis, quia est quodammodò naturalis; & quia facit ad virtutis actionem; & quia diffunditur in omnes vitæ partes : nempe ea quæ bona est, non verò quæ mala.

1084. Est autem *Voluptas perfectio* actionum humanarum non impedita; quia tunc cum voluptate quis operatur : & quia ut vi-

gor

gor ætatis delectat & rectè operatur, ita etiam qui ſecundum voluptatem agit.

1085. Eſt verò voluptas alia *Virtuoſa*, quæ curam corporis non neceſſariam habet.

1086. Alia *Virtuoſa*, quæ ex virtute fluit à viro bono affectata.

1087. Tandem agitur etiam de *Beatitudine theoretica*, quæ eſt operatio ſecundum virtutem theoreticam, conſiſtens in contemplatione rerum. Et propterea nobiliſſima, quia eſt diuturnior, ut quæ nunquam fatigatur; quia conjuncta cum ſcientia bona; quia ſe ipsâ eſt contenta; & propterea ſimilior Deo ejusque operationibus.

1088. Concluditur denique: *præcepta non ſufficiunt* ad virtutis & beatitudinis acquiſitionem, quia tantùm in cognitione occupantur; ſummum bonum autem operatio eſt:

1089. *Juventutis educatio* eſt ſummè neceſſaria, quia quales juvenes, tales ſenes: quia præſtantiſſimæ respublicæ curant educationem, & quia etiam leges latæ ſunt de eadem, & quia hoc Politicorum eſt.

1090. *Politici* verò ſunt, non qui tantum uſum habent, nec qui tantum ſcientiam, ſed qui utrumque;

PO-

POLITICA.

1091. Sic fuit *Ethica* tanquam *generalis*, ſequitur *ſpecialis Philoſophia Practica*, quæ vel conſiderat actiones civiles, & eſt

1092. *POLITICA*, quæ eſt prudentia actionum civilium dirigendarum ad Rempublicam. Ejus pars alia eſt σοϛαϛικὴ *Conſtitutiva*, alia eſt διοικητικὴ, i. e. *Adminiſtrativa*.

1093. In *Conſtitutiva*, partim proponitur Lib. 1. Politicorum *ſubjectum Politices*: & quidem quoad *præparationem* de *fine*, qui præſupponendus eſt, tanquam optimus & perfectiſſimus.

1064. Et *objectum* quod ſocietas *Oeconomica* ſit cauſa propagationis familiarum, & ſocietas *ſervilis* ſit cauſa ſuſtentationis individui.

1095. Ex quibus ſocietatibus *imperfectior* fit *Domus*, quæ eſt ſocietas hominum naturalis perpetua, ad vitæ quotidianum uſum conſtituta.

1096. Ex domo fit *Vicus*, ſocietas ex pluribus domibus conſtituta, cauſa uſus neceſſarii.

1097. *Perfectior* ſocietas eſt *Civitas*, quæ eſt communio ſecundum materiam ex pagis conſtans, omnibus rebus ad vitam neceſſariis inſtructa, bene vivendi causâ. 1098.

1098. Et *civitas* prior est *domo* ratione *inventionis*, non verò *generationis*; perfectiorque solitariâ vitâ, quia vel Deus est, vel bestia qui non amat societatem.

1099. Constat verò societas œconomica ex *liberis* & *servis*, habetque in se societatem *herilem*.

1200. Quo referuntur quoque *possessiones*, potissimum servus, qui est instrumentum sui domini ratione præditum, ad aliquid agendum naturâ in domini potestate.

1201. Siquidem *servitus* alia est *naturalis*, dum propter rationis imbecillitatem quidam servi utilia sibi prospicere nequeunt.

1202. Alia est *legalis* servitus, quando quis cogitur ut victus, subesse, liecet animo excellat.

1203. Et qui *vitiis* contaminati, reverà sunt servi, qui verò *virtute* præditi reverà liberi semper: illi & ubique sunt similes sibi; hi verò non itidem. Unde datur servilis scientia propter necessitatem quotidianam.

1204. Ad eam societatem pertinent etiam *possessiones* sine quibus domestica societas nec constitui nec conservari potest.

1205. Quo pertinent *quæstuaria*, *agricultura*, *pastoritia*, *prædatoria*, *venatura*: ad quam pertinet *piscatoria*, *aucupatoria*.

1206. Interim distingvendum inter *possessionem* & inter *administrationem*.

1207. Unde

1207. Unde bonus œconomus debet 1. habere peritiam earum rerum, quæ ad ſuſtentationem familiæ ſunt necsſſariæ, 2. quæ ſpecies per mutationem utiliores & honeſtiores, 3. ad quæ opera unaquæque materia ſit accommodata, & 4. debet non ſolum legere aliorum ſcripta, verum etiam eorum facta obſervare.

1209. Tandem notandum, 1. imperium *Conjugale* eſſe politicum, 2. *Paternum* regium, 3. *Servile* eſt tyrannicum. Unde cuique perſonæ in re Oeconomicà diſtinctæ virtutes conveniunt.

1209. Hucusque de *objecto* Politices *conjunctim*, & vel ex ſententiâ *aliorum* Lib. 2. Quia boni Præceptoris eſt etiam alios audire:

1210. In civitate verò licet detur *Communio*, tamen fieri non poteſt ſimplex *unitas*, licet æqualitas quodammodo.

1211. Communitas *uxorum* & *liberorum* non eſt cauſa unitatis; ſed major negligentia ſequitur, ſequuntur parricidia, ſcelera, tollit amicitiam, parit confuſionem.

1212. Communitas etiam *bonorum* multa ſecum tranſit incommoda. Unde proprietas in poſſeſſione melior & delectabilior.

1213. Communio, de qua *Plato* de *Legibus*, non præſtat civitatem beatam. Inde ejus Respublica eſt imperfecta, quia talis communio & æqualitas dari non poteſt, neq; eſt monarchia, ſed oligarchia.

1214.

1214. *Phalea* Respubl. est vitiosa, dum vult æqualitatem in honoribus & bonis, non enim servat concordiam.

1215. *Hippodamus* constituit Rempubl. nimis numerosam & judicia confudit, simulq; Leges sæpius mutavit.

1216. Respubl. *Lacedæmoniorum* ob mulierum imperium multa injusta permisit: Senatum habuit perpetuum & immunem à rationibus.

1217. Respubl. *Cretensium* habebat malevolos multos.

1218. Respubl. *Carthaginensium* divites præferebat & uni plures magistratibus committebat.

1219. Sic ex *aliorum* sententia, sequitur ex *propria lib.* 3. Politicorum.

1220. Ubi *in genere materialiter*, quoad *civitatem*. *Civilis vita* in judiciis & magistratibus consistit, quia civis est, qui particeps in civitate judiciorum & magistratuum, licet non omnis æqualiter.

1221. In *specie*. Civitas dicitur *eadem* & *diversa* respectu *loci* & *hominum*.

1222. Quoad *cives*; Non est eadem virtus viri boni cum virtute civis boni. Unde quidem opifices habendi pro civibus, sed non semper pro viris bonis.

1223. *Formaliter*; quoad *definitionem*, *Respublica* est ordo civitatis, potissimum verò magistratus,

1224.

1224. Et in Politico imperio utilitas ſpectatur omnium, ſed diverſimodè.

1225. Quoad *diviſionem* : Respublicæ aliæ ſunt *bonæ* nempe tres. 1. *Monarchia.* 2. *Ariſtocratia* 3 *Politia.*

1226. Et tres ſunt *malæ*, *Tyrannis*, *Oligarchia* & *Democratia.*

1227. Non ſecundum *opulentiam* & *paupertatem*, respublicæ ſunt definiendæ, neque ſecundum *multitudinem* & *paucitatem*,

1228. In *ſpecie* de *jure imperandi.* Non omne eſt jus, quod æquale eſt, quia non ſunt æquales homines, ſed qui ad communionem ſecundum *virtutem plus* conſerunt, illi imperii jus in civitate merentur.

1229. De *democratico ſtatu* : Legibus ſolis imperium non debetur. Unde magiſtratus electio ſuſcipienda, ſed ea non populo eſt committenda.

1230. De *oligarchico* : Certo alicui bono excellenti jus imperii debetur, quia in jure imperandi ratio habenda bonorum; virtus autem eſt præſtantiſſimum bonum.

1231. De *Ariſtocratico.* Optimis viris leges non præſcribuntur, quia ipſi eas norunt

1232. *De regno* : Barbarorum respublicæ & regnum conveniunt cum tyrannide.

1233. *Partialiter* : *Rex* unà cum *legibus*, imperare debet; unde Ariſtocratia præſtat regno.

1234. In

1234. In *concreto*, *specialiter*: Politico conducibilius est sequi leges, & facilius est *plures* pro uno imperare: interim optima respublica est, quæ ab *optimis* administratur viris.

1235. Sic fuit de *fine* & *objecto* Politices; sequitur de *administratione Reipubl. conjunctim* lib. 4.

1236. *Officium* hominis *politici* est nosse, quæ sit optima respublica, & cuilibet civitati accommodata: quia non omnis optimam habere potest.

1237. Major est virtus, rempubl. *conservare* quam *condere*: quia majus est negotium dediscere bona.

1238. *Leges* nosse debet politicus, quia secundum leges vivendum.

1239. Tres sunt *bonæ*, tres *malæ* formæ Rerumpublicarum, inter quas *tyrannis* pessima, contraria optima.

1240. Melius est *scire*, alias esse *bonas* formas Rerumpublicarum, alias *malas*, quam *ignorare*, quia alias quispiam non rectè potest administrare.

1241. *Plures* sunt *partes* civitatis, propter *indigentiam* & *necessitatem*, quia quædam pars in *victu*, quædam in *amictu*, quædam in *defensione* occupata est: Quo pertinent etiam *judices*, *magistratus* & *consiliarii*.

1242. *Democratica* est, in quâ *omnibus* aditus

tus ad Rempubl. patet: quia *plebs*, non *lex* dominatur; tunc tamen est pessima, quando tyrannidem æmulatur.

1243. *Oligarchia* est, ubi solum *divites*, aut *una* familia gubernat: non est optima, quia vergit ad tyrannidem.

1244. *Pauperes* sunt aptiores ad *Democratiam*, quia non admodum avocantur à curâ Reipubl. administrandæ.

1245. Ex speciebus *Aristocratia* illa est optima, in qua solius virtutis habetur ratio: quia in eâ vir bonus & civis bonus idem sunt.

1246. Aristocratiæ *finis* summus est *virtus*, quia honores propter virtutem ipsi committuntur.

1247. In *plerisque* civitatibus *Politia* est; quia divitum & pauperum permixtio est.

1248. Ex *Oligarchiæ* & *Democratiæ* mixtione oritur *Politia*, si tam *divites* quàm *pauperes* ad judicia & magistratum aditum habent: quia in *Democratia* pauperibus *merces*, divitibus *impunitas* proponitur: in *Oligarchia* contra divitibus *multa*, pauperibus *nulla* proponitur.

1249. *Tyrannis* verò *contraria* est Monarchiæ: quia tyrannus nullis *legibus* vult esse subjectus, pro *libidine* gubernat & invitis imperat.

1250. *Optimus civitatis status* est, qui constat *ex mediocribus* civibus: quia eorum

rum vita cum virtute conjuncta : quia mediocritas omnibus in rebus est optima : siquidem cives mediocres facile rationi parent. Opulenti sunt insolentes, pauperes fraudulenti quam plutimum, utrique reipublicæ pernicioſi: quia illi dominari duntaxat sciunt, hi tantùm servire.

1251. *Democratia* & *Oligarchia* sunt *plerumque* respublicæ : quia rarò mediocritas est. Unde in Græcia rarò fuit Politia.

1252. Ea pars civium, quæ *Rempublicam salvam esse* cupit, debet esse potentior, quia status per eam conservatur.

1253. Optima forma Reipublicæ est temperata, quia mediocres census requiruntur.

1254. *Deliberatio* secundum *rerumpublicarum genera* distingvenda est, quia unaquæque habet peculiaria fundamenta.

1255. In *Democratiâ* deliberatur *ab universis* per *prudentes* tamen: quia de creandis magistratibus agitur; & quia in Democratia populus frequentius consultationib9 interest

1256. *Magistratus* est is, qui habet jus *consultandi* & *imperandi*, quia & imperio & consilio ejus autoritas ostenditur.

1257. In *magnis* civitatibus necesse est, ut sint multi magistratus, quia magnus civium est numerus.

1258 *Padonomi* & *Gynæconomi* sunt in *Aristocratia*, quia curæ liberorum & uxorum debet esse magnæ.

1259.

1259. Circa *electionem magistratus* tria sunt consideranda, 1. *qui eligant.* 2. *ex quibus*, 3. *quæ ratione.*

1260. Genera *judiciorum* sunt *octo* 1. de *reddendis rationibus* à magistratibus, 2. de *injuria in publicas* personas, 3. de *crimine læsæ Majestatis*, 4. de *pœnis* & *mulctis*, 5. de *contractibus privatis*, 6. de *sceleribus.* 7. de *peregrinis*, 8. de *pactis*, quia judices pro diversis rebus diversimodè constituuntur.

1261. Sic fuit *Constitutiva* pars, sequitur *Administrativa* distinctim *generaliter* lib. 5. Et quidem *dogmaticè*: omnes qui statum Reipublicæ conantur *mutare*, volunt videri, se amare æqualitatem: quia volunt movere dissensiones, & quia omnes seditiones oriuntur ex inæqualitate, quando magistratus aut *removetur* aut *mutatur.*

1262. *Mutatio* Reipublicæ fit per *errorem juris*, quia jus est fundamentum Reipubl. *Lucrum* & *honor* causæ sunt *potissima* seditionum & mutationum, quia omnes ista affectant propter damnum & ignominiam.

1263 *Avaritia* & *ambitio* sunt causæ eversionis Rerumpublicarum, quia maximè his offenduntur.

1264. *Metus, contemptus* & *incrementum alicujus* ordinis sunt causæ seditionis: quia hæc vitia vel maximè offendunt.

1265. *Negligentia* est causa everſionis ; quia nihil rectè obſervatur.

1266. *Parva initia* futuræ mutationis non *obſervata* pariunt maximum malum : *quia progreſſu* temporis majora damna ſequuntur.

1297. *Diſſimilitudo nationum & morum* parit mutationem : quia una natio cogitat opprimere alteram.

1268. *Principiis* occurrendum eſt & *diſſidium potentum* placandum : quia majora mala ſecum trahunt poſtmodum.

1269. Mutantur Respublicæ interdum *vi*, interdum *dolo* : quia interdum bello, interdum fraudulentis conſiliis regitur negotium

1270. *Democratia* eſt *maximè* obnoxia mutationibus : quia magna eſt *mixtio plebis*.

1271. *Democratia* mutatur in *Oligarchiam* propter *licentiam & impunitatẽ* tribunorum plebis ; quia ſolent ditiores & nobiliores cives pauperes apud plebem calumniis traducere, ac ſi vellent dominatum arripere.

1272. *Democratia* mutatur ſæpè etiam in *tyrannidem*, propter *favorem populi* propter *abſolutam potentiam* : quia populus favet ducibus belli, quia ſibi metuit à talibus, & quia plerique ſunt rudes ; unde Democratia ſemper mutatur in pejus.

1273. *Oligarchia* facilè mutatur propter *injurias populo illatas* per *ſeditiones* : quia populus injurias vindicat & inſidiatur honoratioribus.

1274. *Oli-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [152] - 142
PUBLIC DOMAIN

1274. *Oligarchia* mutatur in *Democratiam*, si *fautor populi Demagogus*, quia unus sibi alios conciliat.

1275. *Oligarchia* mutatur in *Tyrannidem*, quando *principes patrimonium in voluptates* profundunt: quia vertunt se ad rapinas.

1276. *Oligarchia* & *Democratia* interdum in eos status mutantur, qui sunt *ejusdem generis*, quia ex illegitimo potest fieri legitimus.

1277. *Aristocratia* facile mutatur, cum pares *virtute* non sunt pares *honore*, ut propter *paucitatem aut* propter *neglectum* virtutis; quia quando dissensiones oriuntur, omnes status turbantur.

1278. Ex causis *corrumpentibus* colligi possunt causæ *conservantes* rerum publicarum: quia contraria contrariorum sunt efficientia.

1279. In rebus publicis bene constitutis observandum est, ne quid *contra leges* agatur, & ne *callida consilia* oriantur, admittanturve *magistratuum dissensiones*, & *contentiones* sunt præcavendæ legibus.

1280. Utile est ad conservandum reipublicæ præsentis statum censere bona: quia inde cognoscitur, an census augendi an minuendi.

1281. Nemini in civitate statim *magni honores* sunt concedendi, quia mutant animos.

1282. Ad conservandam reipublicæ formam utile, *censores* constituere, quia mores sunt observandi.

1283. Cavendum in republicâ, ne Magistratus *quæstum* faciat; quia alias turpes & scelerati ad dignitates promoventur.

1284. In republicâ *rationes* sunt reddendæ.

1285. In eligendo magistratu spectanda tria. 1. *Amor erga reipublicæ formam*; 2. *facultates administrandi* & 3. *justitia*: quia sine justitia amor & experientia non est sufficiens.

1286. Ad conservationem rerumpublicarum maximum momentum adfert, si futuri cives statim *rectè instituantur*: Siquidem mala est educatio, si pauperum liberi tantum ad labores, nobilium ad voluptates assuefiunt.

1287. *Tyrannus* eligitur à *plebe* contra claros & insignes viros: quia *Monarcha* seu *Rex* creatur ex *bonis*.

1288. *Injuria, metus, contemptus Monarchiam* turbant & mutant.

1289. *Tyrannidem* turbat *seditio* & *discordia*.

1290. *Tyrannis conservatur*, si *boni* deprimantur: si *sodalitates* & *schola* non amplius concedantur; si *speculatores* constituantur; si omnes *ad inopiam* redigantur; si *amicis* non credatur, si *servis licentia* permittitur, si *adulatores* alantur, si *exteri* potius

tius quam *cives* promoveantur ; si *sectigalia* reipublicæ causa imperentur ; si *religio* prætenditur ; si nemini *subito* aliquid auferatur, sed sensim.

1291. *Tyrannides* tamen *non* sunt *diuturnæ* propter *luxum*, propter *profusionem opum*.

1292. Sic fuit de administratione reipublicæ in *genere*, sequitur *in specie* quoad conservationem *lib.* 6.

1293. Genera Rerumpublicarum *miscentur* : quia aliud est *status*, aliud *status executio* ; seu aliud *administratio*, aliud *administrationis executio*.

1294. *Democratiæ* sunt *dissimiles* & specie differentes, quia homines in aliâ sunt præcipuè *agricolæ*, in aliâ *opifices*.

1295. *Fundamentum* Democratiæ est *libertas* & *æqualitas parendi* & *imperandi* : quia servitutem esse arbitrantur, non pro suo, sed alterius arbitriô vivere.

1296. *Democratia* æstimantur ex *majore* & *sobrium* & *pauperum multitudine* : quia illud est democraticum, quod pluribus placet.

1297. In *æquitate* & *æqualitate* veritatis inventio est difficilis, persvasio difficilior, quia omnes requirunt.

1298. *Democratia* ea est optima, quæ constat ex *agricolis*, quia agricultura optima.

1299. *Democratia* ex *opificibus* non admodum bona, quia sectantur quæstum per avaritiam & lucrum.

1300. *Democratia* facilè conſervatur ſi *tyrannica inſtituta* obſervantur, quia *licentia* & *libertas* in utrisque valet.

1301. Boni Politici eſt, non tantùm *fundare* rempublicam, ſed etiam *conſervare*, quia artis eſt.

1302. In *Democratia* habenda ratio *pauperum*: quia vectigalia non debent exſugere pauperes.

1303. *Oligarchia* conſervatur *bono ordine civium*, quo cenſus non augeatur, ſed retineatur.

1304. *Oligarchia* conſervatur per *communicationem cum plebeis*.

1305. *Magiſtratus* in rebuspublicis *diverſus* eſt habendus: quia civitas ſine magiſtratibus eſſe non poteſt. Debet autem eſſe 1. qui de *commertiis* cognoſcat, 2. de *cadibus*, 3. qui de *agris* & *ſylvis*, 4. de *vectigalibus*, 5. de *judiciis*, 6. qui de *exſecutionibus judicierum*, 7. de *bello*, 8. de *cenſu*, 9. de *conſiliis*, 10. de *ſacris*. Atque ita ſunt neceſſarii iſti ordines.

1306. Hactenus *generaliter* de Rebuspublicis, ſequitur *ſpecialiter* lib. 7. quoad *conſtitutionem*.

1307. Vita univerſis optima ſingulis etiam optima eſt; quia conjuncta cum virtute.

1308. Ad vitam optimam requiruntur *bona fortunæ*, *corporis* & *animi*: quia ſine his non eſt virtutis actus.

1309. Bona

1309. Bona *animi* sunt *præferenda*: quia sunt præstantissima; quia merentur beatitudinem.

1310. Civitas illa *optima*, in quâ plerique *Virtutis Studiosi*: quia potest universam civitatem beare.

1311. Vita *politica* præferenda privatæ: quia publica privatis præferuntur.

1312. Bellica studia quidem sunt *honesta*, sed non *felicia*: quia sapientes non probant, nec beatos faciant.

1313. Vita *Philosophica* non planè est *otiosa*: quia dirigit reliquos ad Rempublicam optimè constituendam.

1314. Non *Virtus hominum*, sed totius *civitatis felicitas* respicienda: quia æstimatur ex perfectione.

1315. Magna est civitas, quæ est *seipsa contenta* ad benè vivendum: quia mediocritas in omnibus optima.

1316. Sicut situs civitatis est maximè conveniens, qui est communis & *terræ* & *maris*: quia necessaria possunt advehi & devehi.

1317. Civitas *vicina maris non* est *optima* omnium: quia multi peregrini adventant & turbant.

1318. *Politicus* ille *optimus*, qui & *prudentiam* habet & *animositatem*: quia requiritur prudentis exercitium.

1319. Cives *non* possunt esse omnes *ejus-*

dem ordinis & conditionis, quia varietas requiritur.

1320. Illi sunt veri *cives*, quibus *publica officia committi* possunt: unde *agricolæ & sordidi opifices* non habentur pro prudentibus & veris civibus.

1321. *Sodalitates* debent esse *communes*: quia non facile egentes sunt excludendi.

1322. In *consideratione urbis* spectanda *salubritas loci & opportunitas*: quia sanitati debet esse accommodata & ad negotia expedienda.

1323. *Munitiones* urbium pro *forma rerum publicarum* sunt parandæ: quia diversas diversæ requirunt.

1324. In civitate etiam *publica ædificia* sunt necessaria, eaque in *celebrioribus locis* extruenda: quia conventus sunt instituendi.

1325. Requiruntur tria, ut *viri boni* efficiamur; *Natura*, *consuetudo* & *informatio*: quia sunt requisita habitus.

1326. Civium *non* debet esse omnium *eadem disciplina & institutio*, quia constant ex diversis.

1327. Juvenes primum in *moribus*, postmodum in *disciplinis* informandi: quia primum debet esse corporis cura per naturam, deinde animæ.

1328. *Qui matrimonium contrahere* cupiunt, *non* debent esse *valetudinarii*: quia non tect è

rectè administrant rem familiarem.

1329. *Infantes* sunt alendi *lacte materno*, quia & reliqua animalia fœtus suos alunt.

1330. Ante *quintum annum* disciplinarum gravibus laboribus non sunt onerandi, quia vires sunt exiguæ pueri.

1331. Cavendum, ne pueri versentur cum *servis*, quia corrumpuntur.

1332. Pueri ab anno *quinto* usque ad *septimum* debent esse *spectatores* studiorum & exercitiorum: quia debent ludendo adduci.

1333. Hactenus *summatim*, *distinctim* de *educatione adolescentum* sequitur lib. 8.

1334. *Educatio adolescentiæ* ad politicum pertinet: quia 1. *neglectâ* educatione Reipublicæ pereunt; quia 2. *certis* legibus est definienda.

1335. *Institutio* debet esse *communis* eademque omnium: quia 1. idem finis est totius urbis, quia 2. cura partis refertur ad totum.

1336. Omnis institutio & disciplina dirigenda eò, ut *utilia, necessaria & liberali ingenio digna* discantur: quia ad præclaras actiones excitant, & animum hominis pulcherrimarum rerum cognitione imbuunt.

1337. Juventus instituenda in *Grammaticis, Gymnasticis & Graphicis*: quia ista sunt utilia & necessaria.

1338. *Musica* est discenda: quia facit ad re-

creationem, & multum juvat alias disciplinas.

1339. *Gymnastica* exercitium debet concedi in primis annis, quia incrementa sumunt membra corporis.

1340. Non sunt eodem tempore & *animi* & *corporis* labores subeundi: quia sunt contrarii labores.

1341. *Spectacula obscœna* à pueris removenda; quia corrumpunt.

1342. *Musica vocalis* est discenda & pueris & juvenibus tàm theoretica quàm practica: quia 1. mores adolescentum excitant; & 2. quia est honestum, si servetur de eorum.

1343. *Musica instrumentalis* tantum ea, perquam animi possunt *informari* ad *alias disciplinas* rite informandas, discenda: quia est utilis.

1244. Cantica consistunt partim in *harmoniis*, partim in *textibus*: quia utraque faciunt ad mores.

1345. *Species Musices* non sunt negligendæ; quia sunt accommodandæ & affectibus & voluntati.

OECONOMICA.

1344. Sic fuit *Politica*; sequitur *OECONOMICA*, quæ est prudentia actionum domesticarum ad sufficientiam dirigendarum.

1347. Et quidem ejus pars alia est *constitutrix*, tum quoad prætognita lib. 1.

1348. *Oeco-*

1348. *Oeconomica* & *Politica differunt*: quia 1. habent diversa objecta, nempe Oeconomica domus, Politica verò civitates. Oeconomica habet imperium regium, Politica verò diversa.

1349. Quoad *præcepta* in *genere*: *Partes* societatis domesticæ seu domus, sunt *homo* & *facultates*: quia sine iis non potest constitui & conservari domus.

1350. Prima cura in re œconomica debet esse uxoris; quia est fundamentum familiæ totius.

1351. *Agricultura* est maximè necessaria & præferenda cœteris acquirendi modis: quia maximè naturalis & justa.

1352. In *specie* de *societate conjugali* respectu personæ *unius* quoad *necessitatem*.

1353. Societas conjugalis est necessaria: quia sine eâ genus humanum conservari non potest.

1354. Quoad *conservationem*: *Maritus* non debet *injuria afficere* uxorem: quia 1. violentia debet abesse à conjugibus, & 2. quia ita vivendum cum uxoribus ne conquerantur

1355. Respectu *possessionis*, quoad *servos*. Dominus cogitur servo 1. *opus*, 2. *cibum*, 3. *castigationem* præstare: quia cibus sine opera & castigatio sine cibo reddit eos ægrotantes; sed distributio singulis facienda pro merito.

1356. Servi optimè retinentur, si ipsis *præmia* dantur *debita*: quia propterea laborant. Etiam *epulandi tempora* ipsis sunt permittenda.

1357. Quoad *officia conjunctim*: Boni patris familias officium consistit in tribus, 1. ut *acquirat facultates*, 2. ut *acquisitas retineat*, 3. ut *iisdem fruatur*: quia in ipso prudentia requiritur: unde fructuosa sunt comparanda.

1358. *Persicus* modus administrandi rem familiarem est *Attico* utilior: quia dominus ipse cogitur inspicere omnia; exemplum servis præbere; acquirere & conservare singula: Unde primum expergisci debet & postremum cubitum ire Dominus.

1359. Domus nunquam sine *custodiâ* relinquenda, & *instrumenta domestica* in *justo* loco sunt ponenda; quia aliàs malè administratur domus.

1360. *Rationes domesticæ* statò tempore sunt examinandæ: quia videndum quid salvum & quid desideretur.

1361. Sequitur de *officiis distinctim* l. 2. & quidem *absolutè* de officiis *uxoris*. *Uxor* proba curam debet habere omnium, quæ *intra ædes* sunt: quia requirit necessitas & mariti occupatio.

1362. *Compotationes fœminarum* sunt prohibendæ: quia pariunt lasciviam.

1363.

1363. Uxor æstimare debet *ingenium* & *mores* mariti: quia sese accommodare debet marito in omnibus rebus licitis.

1364. Uxor indefessis precibus debet *orare* Deum pro *salute viri*: quia si hic felix, etiam illa erit.

1365. De officiis *mariti*: *Maritus* sibi eligere debet uxorem *laudatissimam*: quia per hanc erit bona liberorum educatio & domus administratio.

1366. *Educatio liberorum* debet esse præcipua cura quia liberi sunt senectutis præsidiū

1367. *Maritus mansuetus* debet esse erga uxorem & delictis levibus veniam dare: quia etiam hosti ignoscitur.

1368. *Respectivè* de officiis *conjugum*: *Amor, timor* & *verecundia* requiruntur in conjugio, quia sic omnes probæ mulieres facere & conjuges.

1369. *Maritus* debet æstimare suam uxorem aliis *omnibus præferendam*; quia illam primum elegit.

1370. Alia pars *administratrix* lib. 3. Qui rem domesticam vult administrare, debet esse gnarus *locorum, temporum, ingenios sus, laboriosus* & *justus*. Quia si ex his aliquid desuerit, in rebus gerendis multum peccabitur.

1371. *Formæ* administrationis rei domesticæ sunt quatuor: *Regia, Satrapica, Civilis* & *Privata*; quia vel moneta primario respicitur,

citur, vel proventus, vel mercatura, vel agricultura.

1372. *Sumptus* non debent *proventibus* fieri *majores*: quia 1. aliàs non consistit diu œconomia, & quia 2. adhibenda prudentia.

1373. *Exempla* administrationis felicis *observare* est utilissimum: quia prudentia ex exemplis discitur optima.

1374. *Specialis* œconomia & *modus acquirendi* proponitur ultimò, ubi exempla 41. acquirendarum rerum domesticarum proponuntur.

HISTORICA.

1325. Hucusque per *universalia praecepta* Practica Philophia *methodica*, sequitur exemplaris, quæ est *HISTORICA*. Est autem *Historica prudentia* actionum singularium ad beatitudinis consecutionem.

1376. *Prudentia* dicitur, quia 1. versatur circa ea, quæ vel bona vel mala sunt hominibus; & quia 2. versatur circa res, quæ consistunt in actionibus singularibus, quarum memoriam conservare utile est ad benè beateque vivendum.

1377. Ejus pars alia est *communis*, alia *propria*. Est autem *communis* Historica, quæ *finem* & *media* explanat.

1378. *Finis* Historiæ est *beatitudo* quatenus exempla suppeditat faciendorum & fugiendorum.

1379. *Media* desumuntur ex *objecto* & est

Hi-

Historia seu res singularis, quæ describitur in ipsis Historicis.

1380. Pars *specialis* vel ex *rebus* considerat Historias vel ex *modo narrandi* : unde alia dicitur *Historia*, alia *Mythistoria*.

1381. Secundum *res* Historia alia est *sacra*, alia *profana*.

HISTORIA SACRA.

1382. *Sacra* vel est *Judaica* seu Ebræorum, vel *Christiana*.

1383. *Judaica* historia est, quæ res gestas hominum in V. T. describit.

1384. Et est vel *antediluviana* vel *postdiluviana*. *Antediluviana* Historia continet partim *creationem* rerum omnium, quæ hexaëmero absoluta & à Mose & Josepho lib. 1. antiq. Jud. descripta.

1385. Partim continet *propagationem* per *protoplastorum liberos* & per *Patriarchas* ut Enos, Kenan, Mahaleel, Jared, Henoch, Mathusala, Lamech, Noah, per *annos mille sexcentos & quinquaginta sex*, qui numerus colligitur ex Gen. c. 5. Addatur etiam Justinus Martyr & Trismegistus.

1386. Historia *postdiluviana* est vel *antemonarchica* in *Noacho* & *Noachidis* per annos 601.

1387. *Noachidæ* sunt nationum omnium Genearchæ: & vel respiciunt *remotiores*, ut sunt tum *Chamitæ*, quorum terra *ad meridiem*

diem & est *Africa*, complectiturque *Æthiopiam*.

1388. Tum *Semitæ*, qui in *Orientalibus* in *Asia*.

1389. In *propinquioribus Japhetitæ*, qui *Europam* occuparunt.

1390. Ita ut in universum Noachitæ sint 72. nempè Chamitarum 24. Semitarum familiæ 26. & Japhetitarum 14. Videatur Bruchtonus in concentu sacræ scripturæ, Ariæmontanus in Phaleus.

1391. Vel est *Monarchica postdiluviana*, & vel fuit *excellentium Patriarcharum*, vel in *terrâ Canaam*, ubi *Abraham*, *Isaac*, *Jacob*.

1392. Vel in *Ægypto*, ubi *filii Jacobi* usque ad eductionem per *Mosen* & *Josuam*.

1393. Vel *successorum*, & fuit *Judicium* & *Sacerdotum*.

1394. Vel est historia *propriè monarchica* per regnum Samariæ seu decem tribuum, & regnum *Jerusalem*: ubi alia historia in captivitate, alia post captivitatem, de quibus omnibus Josephus consulendus.

1395. *CHRISTIANA Historia* est vel ab *Evangelistis* & *Apostolis* descripta in *prima* vel *nascente* Ecclesia, vel in *adulta* Ecclesia; tum *ante* tempora *Caroli Magni*: & vel *ante Constantinum Magnum*, ubi persecutiones fuerunt undecim.

1396. Vel *sub Constantino Magno*, qui *primus*

mus fuit *Imperator Christianus*: ubi occurrunt tum *conversiones gentium*, tum *hæreses*.

1397. Vel in *senescente Ecclesia*, ubi *Caroli V.* historia notanda, & *post Carolum V.*

HISTORIA PROFANA.

1398. Sic fuit *Sacra* historia, sequitur *profana*, *quæ* rerum ab hominibus profanis gestarum narrationem continet.

1399. Et est vel *universalis*, quæ seriem temporum sub maximis regnis recenset.

1400. Suntque vel regnorum *ante* constitutionem Monarchiarum, de quibus consulendus *Justinus Martyr*, Appion Grammaticus, Berosus, Bullingerus.

1401. Vel est *post* constitutionem Monarchiarum & vel metallo *nobiliori* denotata tum *auro* & est tum *Assyrio - Chaldaica* seu Babyloniorum, quæ comparatur capiti aureo, celeriter acquisita per Nimrod, administrata superbè & tandem divisa miserè. *Desiit* sub *Dario Medo* ultimo Rege Babylonico, Vid. Justinus, Seidanus de 4. Monarchiis, Diodorus Siculus.

1402. Tum *argento*, & est *Medo - Persica*, quæ *cepit* sub *Cyro*, & *desiit* sub *Dario Codomanno*. Vid. Diodorus, Justinus & Ælianus.

1403. Denotata metallo *ignobiliori* tum *ventre æneo*, est *Macedo-Græca*, *cepit* sub Alexandro Magno, & *desiit* sub Cleopatra. Vid. Josephus, & Justinus.

1404. Vel

1404. Vel *tibiis ferreis* & est *Romano-Germanica*. Cujus partim *potestas Vulgaris* & tum *Regia* sub *septem Regibus*. Vid: Florus. Eutropius & *Dionysius* Hallicarnasseus.

1405. Tum *Aristocratico* tempore *Cons. Tribunorum* & *decem Virorum* sub adolescentiâ Romani imperii. Vid. Livius, Florus.

1406. Vel fuit *peculiaris*; *Monarchica*, quæ *cepit* in *Julio Cæsare*: & illa vel est *ante imperii divisionem*, vel *post* divisionem.

1407. *Ante* divisionem fuere *Imperatores ex solis Romanis*: & vel *unius familiæ* usq; ad *Neronem* primamque persecutionem. Vid. Orosius, Svetonius.

1408. Vel ex *diversis familiis* usque ad *Domitianum*, & secundam persecutionem Christianorum. Vel fuerunt Imperatores ab *exteris* sumti, *ante Diarchiam* usque ad sextam persecutionem. Vid. Dionysius, Herodianus, Svetonius.

1406. Vel *sub Diarchiâ purâ* usque ad *Gallienum* hominem voluptuarium.

1410. Vel *sub mixtâ* sine Polyarchia *utque* ad *Probum*.

1411. Et cum *Polyarchia combinata usque* ad *Constantinum*. Vid. Vopiscus, Viterbiensis.

1412. Historia sub *imperio diviso* est vel sub *Orientali*, vel sub *Occidentali*.

1413. *Orientale cepit* sub *Arcadio* & *desiit* sub *Constantinulo*, ubi Constantinopolis expugna-

pugnata à Mahomete anno Christi 1453.

1414. *Occidentale* fuit vel *turbatum* imperium, dum Barbari in Italiâ regnarunt.

1415. Vel fuit *restauratum* per *Carolum Magnum*, ubi translatum ad *Germanos* circa annum Christi 500.

1416. Atque ita *prima classis* est à *Julio Cæsare* usque ad *Constantinum M.* *Secunda* ab hoc usque ad *Justinianum*: *tertia* à Justiniano ad *Constantinum M.*

1417. *Quarta* à Carolo M. usque ad *Rudolphum* ex domo Austriaca, à quo usque ad Ferdinandum. III.

1418. *Specialis Historia* est vel *particularis*, quæ certarum gentium res gestas exponti.

1419. Et vel est *Vetus continens* enarrationes Politiæ *majoris* ut *Regnorum Ægyptiaci*, *Macedonici*, Vid. Herodotus & *Diod.* Siculus. Vel *minoris* ut *Rerumpublicarum* tum *Athenensis*, ubi Xenophon & Plutarchus. Tum *Spartanæ* ubi Plato & Aristoteles.

1420. Vel est *nova*, continens narrationes Politiæ vel *notioris terræ*, iterumque vel *majoris*, ut *regnorum*, ubi de *Hispanicis* Rodericus, Puteanus, Ludov. de Molina & volumen Wechelianum.

1421. De *Germanicis* Cornel. Tacitus, Birckhaimeus, Barlandus, Andebertus, Bertius, Cluverus.

1422. De *Gallicis* Paulus Æmilius, Thuanus, Trithemius, Massonius, Merula. 1423.

1423. De *Anglicis* Polydorus Virgilius, Arturius, Lilius, Triverus, Virunius.

1424. De *Scoticis* Hector Boethius. Buchananus, Leſſæus, Jonſtonus. 1425. De *Bohemicis* Æneus Silvius, Cosma, Dubravius, Lupacius, Theobaldus. 1426. De *Ungaricis* Antonius Bonfinius, Hulſius, Arthuſius Lazius, Caſp. Ens. 1427. De *Polonicis* Mart. Cromerus, Herburtus, Caguinus, Ritziſtanovic. 1428. De *Danicis* Saxo Grammaticus, Idaicus, Cranzius. 1429. Ubi & de *Saxonicis* idem Cranzius, Chytræus, Fabricius, Garzo, Spangenbergius. 1430. De *Sueticis* Meſſenius, Vaſtovius, itemque Cranzius.

1431. Vel *Ducatuum* ubi de *Moſcovitis* Baro ab Herbenſtein, Poſſevinus. 1432. De *Bavaricis* Aventinus, Politus, Hugi Abbas, Welſerus. 1433. De *Brunſuicenſibus* Brutingus, Meibomius. 1434. De *Belgicis* Guicciardinus, Metteranus, Candidus, Eremundus, Swertius. 1435. De *Venetis* Bernhardus, Juſtinianus, Bembus. Contarenus, Maurocenus. 1436. De *Norimbergicis* Conradus Celtes, Camerarius, Lætus. 1437. Vel ſunt *minus notæ*, ut *Turcicæ res*, de quibus Bizans, Barlerius, Cervarius, Dornavius, Eſinius. 1438. De *Aſiaticis* Joan Gramaye, Æneas Sylvius. 1439. De *Africanis* Franciſcus Alvarez, Domitianus Agoes, Gammare. 1440. De *Americanis* Benzo, Lerius Venetus,

netus, Columbus, Vespucius, Cadamustus, Alonsus, Varromann9, Calvelto. 1441. *Propria historia* est, qui scripserunt de *Vitis* & in Theatro vitæ Humanæ Zwingeri habentur.


HISTORIA NATURALIS.

1442. Hucusque *Humana* historia, sequitur *naturalis*, quæ rerum naturalium exempla complectitur. Et vel rerum *Physicarum* vel *Spirituum*, qui ad *Methaphysicam* referri possunt. 1443. *Physicarum* rerum vel *simplicium* & vel *cælestium*, de Eclipsibus Ecstormius; de *novis stellis* Tycho de Brahe in Epistolis. 1444. Vel est *elementarium*, & Plinius de rebus naturalibus consulendus, item Jovianus Pontanus, Jonsthonus de *miraculis naturæ*. 1445. Vel est *imperfectorum* corporum ut *meteororum* ibi Garcæus, Meurerus, Fincelius de prodigiis, Wolffii lectiones memorabiles, Dies caniculares Majoli. 1446. Vel est *perfectorum* & *inanimatorum* de *lapidibus* Gesnerus, Rueus, Boëtius de Booth. 1447. De *metallis* Georgius Agricola, Jacob Hubertus, Adamus Lonicerus, Levinus Lemnius. 1448. Vel est *animatorum* tum *Plantarum*, ut Ruellius, Valerius Cordus, Tabernæmontanus, Dioscorides Græcus, in quem Bauhinus. 1446 Vel *animalium* ut Aristoteles, Ælianus, Oppianus, Alysses Aldrovandus. 1450. De *Ve-*

na-

natione Gesnerus, Blondus, Heresbachius 1451. De *piscibus* Rondeletius, de iisdem Woltonus. 1452. De *avibus*, de *quadrupedibus*, de *insectis*, &c. 1453. Vel est *hominis generalis*, ut sunt *Anatomici*, ibi Gregorius Nissenus, Galenus, Vesalius, Laurentius Knoblochius, Theatrum Augustanum corporis humani. 1454. Vel *specialis* ibi Svetonius, Aurelius Victor, Cornelius Nepos, Plutarchus, Paulus Jovius, Reusnerus; Testimonia plerorumque classicorum Autorum habet Magirus: vitas *Theologorum*, *JCtorum*, *Medicorum*, *Philosophorum* Melior Adami & Symbola Altorffina. 1455. De *spiritibus* scripsit Wierus, Bodinus in Dæmonomaniâ. Addatur Catalogus universalis Draudii in quarto. 1456. *Mythistoria* est, quæ fabulas verò mixtas continet. 1457. Eo vel sunt *religiosæ fabulæ*, unde Theogonia Hesiodi. Metamorphosis Ovidii: Quo refertur Natalis Comitis Mythologia. 1458. Vel sunt *Philosophicæ* & vel fabulæ *simpliciores* seu *apologi*, ut fabulæ Æsopi, Reinicke Fuchs / Froschmeußler ꝛc. Vel sunt *Logi subtiliores*, *fabulæ* ut sunt *Metamorphoses*, *Mimeses*: quò referuntur in genere *Dramata*: & in *specie Comœdia* & *Tragœdia*. *&c.*

FINIS.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [173] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [174] - -


PUBLIC DOMAIN

Herzogliche
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [175] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [176] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 5, [177] - -

PUBLIC DOMAIN